



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicvs cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320




Th. 750.

D. 1

~~179~~ 39.



11



DISSERTATIO TRIPLIX THEOLOGICA,

AD MENTEM
PRÆCLARISSIMI ECCLESIAE D.
S. P. AVGVSTINI,
(Cui consonat DOCTOR ANGE-
LICVS cum MELLIFLVO,)


- I. De primorum hominum creatione, & innocentiae statu.
- II. De eorundem lapsu, & peccati originalis in Posterios transfusione.
- III. De aliis inde derivatis poenis, praesertim ignorantia, & cum hac versatilis Probabilitatis (quae radix fuit damnatarum à Summis Pontificibus Propositionum) connexionem.

Coll. Socij IESU

Concinnata à Paderb. 1682

P. IOANNE SCHVEITZER, ORD. EREMITARVM S. P.
AVGVSTIN., S. Theologiae in Alma Universitate Coloniensi Do-
ctore & Professore Ordinario, Provinciae Coloniensis
Provinciali.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud ARNOLDUM METTERNICH, propè Augustinianos.
ANNO M.DC.LXXXII.



Handwritten text, possibly a title or author name, in a cursive script, located near the bottom left of the cover.

Handwritten text, possibly a date or another title, in a cursive script, located near the bottom right of the cover.

Reverendissimo, Amplissimoque Domino,

**D. AEGIDIO
SIPENIO,
COLONIENSI,**

**SS. THEOLOGIAE LICENTIATO,
CELEBERRIMI MONASTERII B. M. VIR-
GINIS DE VETERI MONTE, SACRI OR-
DINIS CISTERCIENSIS ABBATI
DIGNISSIMO,**

*Nec non per Inferiorem Tractum Rheni, Westpha-
liam, Saxoniam, partesque annexas Vicario ac Com-
missario Generali, Domino temporali in Rheill, &c.
Patrono omni studio & observantiâ
Colendissimo.*

Reverendissime Domine Praelate,

Perlecto hoc Opusculo, vel solo e-
jus titulo inspecto, facile intelli-
ges, sub cujus nomine & Patroci-
nio illud lucem videre optaverim. Do-
ctrinae Augustiniano-Thomistico-Ber-
nardi-

DEDICATORIA.

nardinæ amatorem desideravi, quæsi
 & Testatim inveni. Illam enim junior &
 in minoribus constitutus sedulò didici-
 sti, alios docuisti, privatim & publicè
 propugnasti cum applausu & tali profe-
 ctu, ut in Alma hac Vniversitate non so-
 lùm fueris proclamatus dignus Laureâ
 Doctorali Theologica, sed etiam in sa-
 cratissimo Ordine *Tuo* mitra Abbatiali;
 quando unanimi cõsensu Capitularium
 electus fuisti in Celeberrimi Monasterii
 de Veteri Monte Abbatem, & à Reve-
 rendissimo D. Abbate Generali non tan-
 tùm confirmatus, sed etiam majoribus
 honoribus cumulatus. Et in hoc Hono-
 ris & Dignitatis fastigio *Tibi* constituto
 inter varias curas, quas pro grege comisso
 sollicitè geris, facilè præcipua est, ut ju-
 niores Sanctorum in sequentibus Dissert-
 ationibus laudatorum Doctorum spiri-
 tu & lacte doctrinæ educantur. Testes
 sunt

DEDICATORIA.

Sunt illi, qui ex diversis Monasteriis Te jubente & promovente in florentissimo non ita pridem auctoritate Apostolicâ erecto Seminario Benedictino, sub directione Eximii & in Doctrina Augustino-Thomistica versatissimi Regentis P. M. Bedæ VVachendorff, Monasterii S. Pantaleonis operâ navant, & intra breve tempus tam feliciter progressi fuerunt, ut non solum inter privatos seminarii parietes, verum etiam in Schola publica honorificè sententias Augustiniano-Thomisticas, in materiis etiam difficillimis, propugnauerint, secuti vestigia *Reverendissimæ Dignitatis Tuæ*, & aliorum ejusdem Ordinis, quorum aliqui in Generali hoc Studio Coloniensi versati & imbuti, in tales Viros evaserunt, ut non tantum Sacræ Facultatis Theologicæ, sed etiam totius Academiae Regimen commissum iis fuerit, etiam ab initio fundati

DEDICATORIA.

auctoritate Apostolicâ Studii; cùm inter
 primos Eximios Magistros Sacram Fa-
 cultatem Regentes & secundus Decanus
 fuerit P. Reginaldus de Alua, Cisterci-
 ensis, anno 1395, ut testantur Facultatis
 annales, quem plures sequentibus annis,
 usque ad hæc tempora fuerunt secuti, &
 ad gradus ob scientiam & virtutes in
 Theologia promoti, inter quos ultimò
 laudatissimè præfuit Vniversitati Revo-
 rendissimus Dominus Prælatus Ioannes
 à Blanckenberg, Rector Magnificus e-
 lectus anno 1654, die secunda Decem-
 bris, & octies confirmatus, qui, ni fallor,
 Reverendissimâ Dignitatem Tuam ad sa-
 crum Ordinẽ assumpsit. Dignare igitur,
Reverendissime & Augustiniano-Thomistica
Doctrinæ Amantissime Præsul, hoc Opu-
 sculum à devotissimo *Tibi* Cliente hu-
 militer oblatum, humanissima manu,
 beneveloq; vultu acceptare, & magnam

DEDICATORIA:

in parvo contentam, Sanctorum doctrinam Tibi subjectis comendare. Audiant & sequantur vocem Patris sui Melliflui Bernardi in Epist. 77. ad Hugon. *Ab his duabus columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, credite mihi, difficile a-vellor: cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor.* Dicant & illi: *Ab his tribus columnis difficile a-vellimur, cum his nos errare aut sapere fatemur.* Divina Clementia Reverendissimam Dignitatem Tuam sibi, Ecclesiæ & Ordini incolumem quàm diutissimè tueatur. Sic precatur & vovet Colonia in Conventu S. P. Augustini, anno 1682. die 1. Martii.

Reverendissime Dignitatis Tue

Humillimus Servus

F. JOANNES SCHWEITZER,
Eremita Augustinianus.

)(4

Appro-



Approbatio Doctorum.

Opusculum, cui præfigitur titulus, *Dissertatio triplex Theologica ad mentem S. P. Augustini &c. de primorum hominum creatione, & innocentie statu, lapsu & peccato originali, & inde derivatis pœnis &c.* Legi, invenique non solum expers errorum contra fidem Catholicam, & bonos mores, sed etiam per omnia conforme S. P. Augustini aliorumque SS. Doctorum & Patrum doctrinæ, quam Adm. R. d. & Eximius P. M. Joannes Schveitzer, Ord. Erem. S. Augustini SS. Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius & Provinciæ Coloniensis Provincialis meritissimus solidè propugnavit, præsertim contra impugnatores quendam juniorem, cui optandum est, quod olim optavit S. P. Augustinus cuidam juveni Catholico, qui aliquod ejus opusculum impugnaverat, videlicet: *ut recta sentiet & vera loqueretur, & quod cruditas loquacitatis eructaverat, ætatis maturitas decoqueret.* Hoc futurum S. Pater speravit, & non erravit, quia post ostensos errores & pravitates præsumptionis, ut loquitur S. Pater, *rescripta correctionis ejus accepit.* lib. 5. *Retract.* c. 56. lib. 1. *de anim.* & ejus orig. c. 3. Dabam in Conventu S. P. Augustini Coloniae 6. Martij 1682.

Fr. Joannes Guilielmus à Lützenrode Ord. Erem.
S. P. Augustini SS. Theol. Doctor & Professor Ord.
nec non S. Facultatis p. r. Decanus.

Differ-

Dissertationem Triplicem Theologicam sedulo ac studiosè evolvi, nihilque reperi, quod vel sanæ fidei, vel bonis moribus officiat. quin potius notavi solidam ejusdem doctrinam eò collimare, ut arctam salutis viam juxta ductum trium SS. Doctorum strenuè ostendat. Quare illam typis dignissimam censeo, ut confundantur scioli, instruantur ignari. Dabam Coloniae 6 Martij 1682.

Fr. Henricus Hilden Ord. Præd. SS. Theol. Magister & Publicus in Universitate Coloniensi Professor.

Quia nemo lucernam accendit & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui in & egrediuntur, lumen videant; ideò vel maximè dignus est Liber intitulatus. *Dissertatio Theologica triplex ad mentem S. Augustini (cui consonat Doctor Angelicus cum Mellifluo) de primorum hominum creatione, statu innocentia, lapsu, peccato originali, & pœnis inde derivatis &c.* ab Admod. Rdo & Eximio Patre Joanne Schveitzer Ord. S. Augustini in Universitate Coloniensi SS. Theologiæ Doctore & Professore Ordinario, nec non Provinciæ Coloniensis dicti Ordinis Provinciali dignissimo concinnatus, ut super Ecclesiæ ponatur candelabrum, profundissimæ Augustinianæ doctrinæ lucem procul diffundat, illuminetque eos, qui in obscuris vagarum probabilitatum reflexionibus reflexo reflexis ambulant, utpote, qui non tantum nihil orthodoxæ fidei aut bonis moribus adversum, quin etiam inconcussam sanctorum Doctorum, *Augustini, Thomæ Aquinatis, & Bernardi* de seculi hujus sententiarum

probabilitatibus mentem, clarè, solidè, & modestè explicat. Ita censeo Coloniae die 6. Martij, Anno 1682.

Fr. Ioannes Lorbecher, Ord. Præd. Conventus S. Crucis pro tempore Prior & in Universitate Coloniensi SS. Theol. Doctor & Professor Ordinarius.

Hanc Dissertationum Theologicarum Triadem attentè, ut meretur, perlegi; in ea quod fidem sanam, quod probatos mores offendat, offendi nihil. Mirum est, quam dextrè quaquaversum fulgentissimi Ecclesiae Solis S. P. AUGUSTINI hic resplendeat radices, operâ Adm. Reverendi & Sapientissimi Patris Magistri concinnatoris re & nomine pro Ecclesia, & *Augustiniano-Thomistica veritate gratia Dei desudantis* eximie reflexus. Fundamentum in hac Triade ponit *Magnus Augustinus* superædificat *S. Doctor Angelicus*, *claram suavitatem* admiscet *Clare-Vallensis ap. D. Bernardus*. Hæc itaque *Theologica Dissertationum Trias* sub triga hac Sanctissimorum Ecclesiae Doctorum in lucem vehatur, ut palam pro merito evehatur. Cadent æmuli; quia tantus *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Ita sentio ipso *S. Thomæ Angelici Magistri nostri* fidelissimi verò *S. P. Augustini Discipuli ac interpretis Natali*. Anno salutis 1682.

Ioannes Forsbach Colon. SS. Theolog. Doctor. Publicus & Ordin. Professor B. Mariæ V. in Nothhausß vulgò Inse-Kirchen Pastor S. Georgii Canonicus Præbendatus & Capitularis.

Augu-

Augustinum suum ubique spirat, sapit, loquitur
Dissertationis hujus Triplicis Author, prout me-
cum intuenti patebit, & placebit, cuicumque Augu-
stinus & severioris Disciplinae secura sanctimonia non
displicebit. Quod unum dum dixi, sat multa dixi in
hujus libelli commendationem. Coloniae in Profesto
S. Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici. Anno
1682.

*Ioannes Plaum SS. Theol. Doctor Ordin. ac Pub-
licus Professor, ad s. Cunibertum & s. Paulum
respectivè Canonicus & Pastor.*

Funiculus triplex difficile rumpitur: hoc ipsum stu-
diosissimus praesentis *Triplicis Dissertationis Theolo-
gicae Author* prudentissimè considerans Adm. R. d. &
Eximius P. Joannes Schweitzer Ord. Erem. S. Au-
gustini SS. Theolog. Doctor & Professor Ordinarius,
dicti Ordinis Provinciae Colonienfis Provincialis, ean-
dem trium Sanctissimorum Ecclesiae Doctorum Au-
gustini, Thomae Aquinatis, & Bernardi profundissimis
doctrinis, Angelicis argumentis, mellifluis sententiis,
velut triplici Charitum nexu, ita non minus fortiter,
quam sapienter colligavit, ut nullius in posterum Op-
ponentis industria dissolvi metuat; proinde cum *tri-
plicis illius Dissertationis* solidissima, Authore suo di-
gnissima, ac trium praefatorum Doctorum menti un-
diquaque consona dogmata maturo examine cum vo-
luptate pervolvendo, nihil in ipsis aut fidei catholicae
contrarium, aut bonis moribus inimicum deprehen-
derim.

derim, meritissimam censeo, quæ prælum subeat, & omnium manus summa cum utilitate percurrat. Colonia in Seminario Benedictino Anno 1682. 1. Martij.

F. Beda Wachendorff Ord. S. Benedicti Monasterij S. Pantaleonis Professor, ss. Theol. Doctor & Professor Ordinarius supradicti Seminarij Regens.

Quantoperè novellus quidam Theologus in suis manuscriptis de opinionum probabilitate nuper publicè dictatis cœcutiat; quam & parum versatus sit in S. Augustini veridicis dogmatibus; quam alienus à melleis melliflui Doctoris doctrinarum fontibus; quam rudis in Angelicis Scholæ Angeli Doctoris Angelici Theologicarum literarum monumentis: denique quam hujus ævi, horum sanctæ Matris Ecclesiæ Luminarium per omnia exactissimè se attenperantibus sententiis; nonnullis uti ingenii acie excultissimis, ita conscientiarum integritati, puritati & tranquillitati consulendæ studiosissimis Doctoribus injurius extiterit, prodidit: dum per summam nec veritatis amanti ferendam calumniam, eos non qualescunque, sed eminentes *Rausenistas* exhibilare non erubuit. A quorum numero cum pariter *harum Dissertationum* Auctorem Admod. Reverendum & Eximium P. F. Joannem Schveitzer S. Theol. Doctorem Sapientissimum, Ord. S. P. Augustini Eremitarum Provincialem dignissimum, eximere non videatur, is jure meritissi-

ritissimo ansam sibi datam & suggestam arripuit, hanc à se, aliisque S. P. Augustini, Angelici Doctoris & S. Bernardi discipulis impactam amolendi calumniam, & lxlvio, quali decet, tam procacis, ignorantis & petulantis calami spurcitiem detergendi. Quod cum in hac *triplici Dissertatione*, sine ullo offendiculo, & pro eâ, qua pollet, congenita morum suavitate, modestè, doctè, & ex supranominatorum S. Ecclesiæ Doctorum dogmatibus, ac Summorum Pontificum decretis depromptis fundaminibus præster: Hinc est, quod *triplicem hanc Dissertationem* prælo dignissimam judico. Coloniae in Conventu S. Crucis Anno 1682, 6. Martij.

*Fr. Leonardus Messen Ordin. Præd. ss. Theol.
Doctor & Professor Ordinarius ac Publicus.*

Libellum hunc tanquam alterum Paradisum ingressi, nihil inordinati, sed pulchra, venusta, peramœna omnia, atque in statu innocentiae constituta reperimus; nec non Magni illius Augustini mirifico spiritu, quem in operis hujus auctore eximio requiescentem veneramur, quam dignissima, adeoque prælo divulganda. Coloniae 3. Martij 1682.

Fr. Sylvester Schveitzer Ord. FF. Minorum Conventualium ss. Theol. Doctor & Professor Ordinarius, ac Publicus, Commissarius Generalis ac p. t. Guardianus Coloniensis.

Fr. Hilgerus Knuitgenius Ord. Minorum Conventualium ss. Theol. Doctor & Professor Ordinarius;
Censura



Censura Ordinarij.

D*issertatio Theologica Triplex* de primorum hominum creatione, statu innocentiae, lapsu, peccato originali, & poenis inde derivatis ab Adm. Reverendo & Eximio Patre Joanne Schvveitzer SS. Theologiae Doctore & Professore Ordinario, Eremitarum S. Patris Augustini Provinciae Coloniensis Provinciale dignissimo compendiosè & nervosè conscripta, digna est, ut imprimatur, & à Candidis S. P. Augustini discipulis legatur. Ita censeo & sentio Coloniae Agrippinae 25. Februarij 1682.

Fr. Theodorus Deghens S. Theol. Doctor & Canonorum Regularium S. Crucis ad Rhenum Provincialis & Prior Coloniae, Librum Censor Ordinarius.

INDEX

INDEX DVBIORVM ET RESPONSIONVM.

DISSERTATIO PRIMA.

Dubium primum. *An secundum S. Augustinum primi homines fuerint creati in etate perfecta?*

pag. 1

Responsio. *S. Augustinus favet sententia affirmativa.*

pag. 3

Dubium secundum. *An Paradisus, in quo fuit positus primus homo, sit locus corporeus, & adhuc extet?*

pag. 4

Responsio prima. *Paradisus secundum Augustinum est locus corporeus.*

pag. 5

Responsio secunda. *Adhuc extat Paradisus.*

ibidem.

Dubium tertium. *An primi homines in statu innocentia comederint & biberint?*

pag. 7

Responsio. *Primi homines in statu innocentia comederunt & biberunt secundum Augustinum.*

ibid.

Dubium quartum. *An primus homo fuisset mortuus, si non peccasset?*

pag. 8

Responsio. *Primus homo secundum Augustinum, si non peccasset, non fuisset moriturus.*

ibidem.

Dubium quintum. *An creatus fuerit primus homo cum usu liberi arbitrij?*

pag. 11

Responsio. *Primus homo fuit creatus cum usu liberi arbitrij.*

ibid.

Dubium sextum. *An primus homo secundum Augustinum fuerit creatus in statu gratia sanctificantis?*

pag. 17

Responsio. *Primus homo fuit creatus in statu gratia sanctificantis.*

ibid.

Du

I N D E X.

- Dubium septimum. *An primus homo in Paradiso fuerit felicior omnibus justis in statu natura lapsa?* p. 21
- Responsio prima. *Primus homo in Paradiso fuit felicior omnibus justis hujus status de beatitudine non securus.* ibidem.
- Responsio secunda. *Iusti in hoc statu de sua beatitudine securi sunt feliciores, quàm fuit primus homo in Paradiso.* ibidem.
- Dubium octavum. *An primus homo fuerit ante lapsum beatus beatitudine patriæ secundùm Augustinum?* p. 22
- Responsio. *Primus homo secundùm Augustinum ante lapsum non fuit beatus beatitudine patriæ.* pag. 23
- Dubium novum. *An primus homo potuerit peccare in primo instanti creationis?* pag. 26
- Responsio. *Primus homo in primo creationis instanti non potuit peccare, neque contrarium sentit Augustinus.* ibidem.
- Dubium decimum. *An potuerit primus homo in statu innocentia peccare venialiter?* pag. 30
- Responsio. *Augustinum favere sententia negativa.* p. 31
- Dubium undecimum. *An primum primi hominis peccatum potuerit oriri ex rebelli concupiscentia?* p. 35
- Responsio prima. *Primus homo fuit creatus sine omni interiori motu & sollicitatione ad malum.* ibidem.
- Responsio secunda. *Primum peccatum in primo homine non potuit oriri ex caca & indomita concupiscentia.* pag. 37
- Dubium duodecimum. *An primum primi hominis peccatum potuerit oriri ex ignorantia aut errore?* pag. 54
- Responsio. *Primum hominis peccatum non potuit oriri*

I N D E X.

- ex errore aut ignorantia, seu defectu inconsiderationis
privativa.* pag. 55
- Dubium decimum-tertium. *Quid S. Augustinus senserit
de natura, locutione & calliditate serpentis?* pag. 62
- Responsio prima. *Augustinus sensit verum & natura-
lem fuisse serpentē, qui primos homines tentavit.* ibid.
- Responsio secunda. *Secundū S. Augustinum Diabolus
fuit locutus per serpentem, sicut Angelus per asinam
Balaam.* pag. 63
- Responsio tertia. *Serpens fuit callidior cunctis anima-
libus, non tantū propter propriam calliditatem, sed
etiam alienam diaboli in illo loquentis.* ibidem.
- Dubium decimum-quartum. *Qualiter secundū S.
Augustinum fuissent propagati homines in statu inno-
centia, si primi homines non peccassent?* pag. 68
- Responsio. *Secundū S. Augustinum in illo statu inte-
gritatis genus humanum fuisset propagatum per viam
generationis, sive per sexuum commixtionem.* pag. 69
- Dubium decimum-quintum. *An Adamo non peccante
posterie eius fuissent confirmati in iustitia ab initio.* p. 75
- Responsio. *S. Doctorem adhasse negativa.* pag. 76

DISSERTATIO SECUNDA.

- Dubium primum. *Qua fuerint secundū S. Augustinum
&c. primi hominis peccata, quibus natura fuit cor-
rupta?* pag. 1
- Responsio prima. *Peccatum primum hominis primi fuit
secundū Augustinum superbia?* pag. 2
- Responsio secunda. *Primus homo peccavit etiam pec-
cato inobedientia & alijs pluribus secundū Augusti-
num.* pag. 10
- X X
- Re-

I N D E X.

- Responsio tertia. *Primi homines commiserunt peccatum infidelitatis, & amiserunt fidem secundum Augustinum.* pag. 11
- Dubium secundum. *An detur peccatum originale, & ejus existentia ab Augustino efficaciter probetur?* pag. 17
- Responsio. *Datur peccatum originale, id est, peccatum verum, ac propriè acceptum à primo homine in posteros derivatum, & ab Augustino efficaciter probatur?* pag. 18
- Dubium tertium. *Quid sit peccatum originale secundum Augustinum?* pag. 38
- Responsio prima. *Peccatum originale afficiens intrinsecè, & inficiens personas nascentium ex Adam secundum Augustinum est concupiscentia cum reatu, ita ut concupiscentia se habeat quasi materiale peccati, reatus verò tanquam formale.* pag. 39
- Responsio secunda. *Reatus concupiscentia, qui ab Augustino ponitur formale peccati originalis, est privatio justitiae originalis voluntaria nobis ex peccato Adæ, prout aufert effectum ejus principalem, id est, sanctitatem & rectitudinem animæ in ordine ad Deum debitam inesse.* pag. 48
- Dubium quartum. *Quomodo secundum S. Augustinum traducatur in posteros peccatum originale?* pag. 60
- Responsio prima. *Causa, radix, tradux & vehiculum peccati originalis, quo inficiuntur Posteriores Adæ, est concupiscentia.* pag. 63
- Responsio secunda. *Ad quæstionem particularem: Omnis peccati radix est concupiscentia & ignorantia.* pag. 76

DISSER-

I N D E X.

DISSERTATIO TERTIA.

Dubium. Quenam sint pœnae per primum hominis peccatum in nos derivatae, & effectus illarū in hac vita? p. 11

Paragraphus primus. An omnis ignorantia invincibilis excuset à peccato secundum Augustinum? pag. 3

Responsio. Omnis ignorantia invincibilis legis excusat à peccato, & à pœna peccati secundum S. Augustinum? pag. 6

Paragraphus secundus. An secundum S. Augustinum detur ignorantia invincibilis juris naturalis. pag. 16

Responsio. Secundum S. Augustinum non datur ignorantia invincibilis juris sive legis naturalis secundum se spectatae in homine usu rationis pollente. pag. 18

Paragraphus tertius. An secundum Augustinum in concursu & conflictu opinionum licitum sit eligere & sequi minus probabilem faventem libertati, voluptati & commodo, relictâ probabiliore favente legi naturali aut positiva? &c. pag. 48

Responsio: In concursu opinionum contradictoriarum non est licitum sequi minus probabilem faventem libertati, &c. relictâ probabiliore favente legi &c. sive possit dari ignorantia invincibilis legis naturalis, sive non. pag. 60, & 61

Paragraphus quartus. Confertur & opponitur doctrina S. Augustini & aliorum particularibus vage probabilitatis Consectarijs, id est, singulis propositionibus à Pontificibus proscriptis, & veritas præcedenti S. asserta confirmatur. pag. 101

Paragraphus quintus. Proponuntur & solvuntur argumenta, quæ solent objici contra doctrinam præcedentium Paragraphorum. pag. 151

Indicis Dubiorum & Responsionum Finis.

ERRATA.

DISSERT. I. P. 9. Nascerentur lege nasceretur.

DISSERT. II. P. 65. membris lege mortis.

DISSERT. III. P. 56. nego l. ego. p. 62. audeamus l. audiamus. p. 68. ponis l. ponit. p. 75. raticinatus l. vaticinatus. p. 90. ponil. proni. p. 95. manifeste l. manifesta. p. 154. convenientem l. convincentem. p. 160. demonstret l. demonstrent. p. 162. muniendam l. inveniendam. p. 193. decisa rorum l. declaratum. p. 194. diffimilis l. discipulis. p. 196. scio teneo l. sic teneo. p. 203. ut l. vi. & ibid. hæc l. hæ. p. 206. *precibus* deleatur.

DISSE RTATIO PRIMA

De Primorum hominum creatione &
innocentiæ statu.

DUBIUM PRIMUM.

*An secundum S. Augustinum Primi homines
fuerint creati in ætate perfecta?*

Suppono primò, Adam fuisse à Deo productum sexto die creationis mundi, formato corpore ejus de limo terræ. hoc enim clarè constat ex S. Scriptura, quæ Gen. 2. dicit: *formavit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vite, & postquam cap. 1. narratum esset: creavit Deus hominem ad imaginem suam, sequitur in fine cap. 2. & factum est vespere & mane dies sextus. dicitur autem Gen. 2. Deum die Septimo complevisse opus suum, quia die Septimo quievit, & cessavit, ab operibus quæ perfecerat die Sexto; præcedunt enim verba hæc: *perfecti sunt cali & terra & omnis ornatu eorum, complevitque &c.**

Suppono secundo, quod ex costa corporis Adæ eodem die in Paradiso fuerit producta Eva. dicitur enim Genes. 2. *immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et edificavit Dominus*

A

Deus

I Dubium Primum

Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem &c.
& cap. 1. dicitur: creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & foeminam creavit eos, & factum est vespere & mane dies sextus. Hinc Sanct. Augustinus ait lib. de Gen. ad litt. cap. 5. neque enim dicendum est, masculum quidem sexto die factum, foeminam vero posterioribus diebus, cum ipso sexto die apertissime dictum sit, masculum & foeminam fecit eos, quando autem S. Thomas 1. p. quæst. 73. a. 1. ad 3. dicit. ad tertium dicendum quod nihil postmodum, id est post septimum diem, factum est totaliter novum, quin aliquo modo in operibus sex dierum præextiterit. Quadam præextiterunt materialiter: sicut quod Deus de costa Adæ formavit mulierem, vult tantum S. Doctor, quod aliqua post diem septimum condita præextiterint in operibus sex dierum eo modo, quo præextitit mulier in costa Adæ, antequam personaliter produceretur, scilicet materialiter. Quod fuerit producta in paradiso, colligitur ex hoc, quod sopor fuerit Adæ immissus post translationem in Paradisum, & ipse translatus inde non discesserit ante prævaricationem.

Suppono tertio mulierem fuisse productam ex costa, sicut littera sonat, juxta illud Sanct. Augustini l. 9. de gen. ad litt. cap. 13. non est itaque dubitandum quoniam hæc facta sunt & stulta esse non possunt. Neque ex hoc sequitur, Adam fuisse habita costa monstruosum; licet enim illi fuerit superaddita, non tamen illi, ut erat principium speciei, erat superflua, sed servitura pro Evæ, quæ generari non poterat, productione, & exterius non apparebat: neque sequitur, ea sublata fuisse
im per-

Dubium Primum.

imperfectum, & mancum, quia non erat illi necessaria pro omni tempore. Neque littarali sensui obstat, quod Evæ corpus fuerit magnum, & parva costa, quia, ut S. Thomas 1. p. quæst. 20. a. 3. testatur, fuit alia materia addita: hinc dicitur: *Et edificavit dominus costam in mulierem.* His suppositis.

Respondeo & dico: S. Augustinus favet sententiæ affirmativæ. Colligitur ex 1. 6. de gen. ad litt. cap. 13. ibi enim quæstioni de ætate primi hominis, subjicit hanc interrogationem: *an potius hoc non est requirendum?* quod nempe in perficiendo, & augendo Adamo compleverit hos temporum numeros, quos naturæ humani generis attributos videmus; additque, quod deus suam potentiam hujusmodi creatura numeris non allegaverit: quod alijs exemplis confirmat dicens, *quis enim nescit, aquam concretam terra, cum ad radices vitis venerit, duci in saginam ligni illius: atque in eo sumere qualitatem, qua in uvam procedat paulatim erumpentem, atque in ea grandescente vinum fiat, maturumque dulcescat, quod ad huc fervereat expressum, & quadam vetustate firmatum ad usum bibendi, tutius, jucundiusque perveniat?* num ideo dominus lignum quæsit, aut terram, aut hæc temporum moras, cum aquam miro compendio convertit in vinum, & tale vinum, quod ebrius etiam convivâ laudaret? nunquid adjutorio temporis eguit conditor temporis? Potest hæc Augustini Doctrina confirmari ex illo Gen. *cre-scite & multiplicamini &c.* Quibus verbis illos Deus statim post creationem fuit allocutus tanquam aptos ad multiplicandum genus humanum per generatio-

A 2 nem

Dubium Primum.

nem, uti & ex hoc, quod dicatur, utrumque fuisse nudum & non erubuisse &c. non enim mirum esset, illos non erubuisse, si in ætate infantili fuissent producti.

Quæres in qua ætate fuissent nati pueri, si Adam non peccasset? Respondeo Sanct. Augustinum videri quidem sensisse, natos fuisse etiam in ætate perfecta, cum l. 1. de peccat. merit. cap. 38. dicat: poterat certe eis (pueris) prestare, quod multis animalibus prestat, quorum pulli quamvis sint parvi, tamen mox ut nascuntur, currunt, & matres sequuntur: sed Mag. sent. & S. Thomas ajunt, S. Patrem ibi non fuisse assertivè locutum, ac hinc probabilius sustineri, quod naturalis cursus habet, de quo potest videri S. Doctor, 1 p. quæst. 99. a. 1. ubi asserit, quod pueri mox nati non habuissent sufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, sed ad actus pueritia convenientes, puta ad sugendum ubera &c.



DUBIUM SECUNDUM.

An Paradisus, in quo fuit positus primus homo, sit locus corporeus, & adhuc extet?

Suppono Adamum fuisse extra paradisum productum, & introductum à Deo, cum textus scripturæ id insinuet.

Respon-

Respondeo & dico primo: Paradisus secundum Augustinum est locus corporeus. Probat ex l. 8. de gen. ad lit. cap. 1. ubi ait: *secundum hanc suscepi nunc loqui de Paradiso, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus è limo, quod utique corpus humanum est, in paradiso corporali collocatus intelligatur, & ibidem vocat locum amoenissimum, fructuosus nemoribus opacatum, eundemque magnum, & magno fonte secundum, &c.* ex quo nempe fonte egrediebatur fluvius postea in quatuor flumina divisus, quæ sub terris abscondita eruperunt in diversis mundi partibus; ut testatur Sanctus Augustinus l. 8. de gen. ad lit. cap. 7. dicens, *cum potius credendum sit, quoniam locus ipse paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima scriptura testatur, sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi ipse sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis alijs erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur.* Vide S. Bernardum serm. 3. sup. Salve R. & serm. de ligno scæno & serm. 1. 1. in festo om. SS. Ep. 1. ad Robert.

Obijcies: 1. ad Cor. 12. dicit Apostolus, *se fuisse raptum in paradysum*; ergo paradysus non est particularis & visibilis terræ locus. Respondeo distinguendo consequens; ergo paradysus, in quem raptus fuit Apostolus, non est particularis & visibilis terræ locus, concedo; ergo paradysus, in quo positus fuit primus homo, non est talis locus, nego consequentiam.

Dico secundo: adhuc extat paradysus. Probat ex Augustino, qui l. 1. de peccato. merit. cap. 3. asserit.

quod Enoch & Elias in paradiso de ligno vite pascantur. Neque enim, inquit, Enoch & Elias per tam longam aetatem senectute marcuerunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant sarietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aqua, & ex Collyride panis sine cibo vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset & lib. 2. c. 23. ait, paradysum esse, fides Christiana non dubitat.

Magistro adhæret discipulus S. Thomas 3. p. qu. 49. a. 6. ad 2. dicens: Henoch raptus est in paradysum terre streum, ubi cum Elia simul creditur vivere, usque ad adventum Antichristi.

Obijcies primo: paradysus à nullis hominibus repertus fuit: ergo non est credibile, quod adhuc extet: Respondeo negando consequentiam. Deus enim eam occultat, juxta illud Augustini lib. 8. de gen. ad lit. cap. 1. sicut occulto opere dei factus est, ita peculiari cura & providentiâ ipsius est occultatus. Sanct. Thomas 1. p. quæst. 102. a. 1. dicit: esse à nostra habitatione seclusum aliquibus impedimentis.

Obijcies secundo: Si paradysus exstiterit, fuit destructus per deluvium: ergo modo non extat. Respondeo negando antecedens; fuit enim

à Deo conser-
vatus.

* *
* *

DUBIUM

—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—


D V B I V M T E R T I V M.

An primi homines in statu innocentie comederint & biberint ?

Respondeo , & dico : *primi homines in statu innocentie comederunt & biberunt* secundum Augustinum, probatur ex l. 13. de Civit: cap. 20. ubi ait : *qui licet morituri non essent , nisi peccassent , alimentis tamen, ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quae licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem : tamen & alios sumebant cibos praeter unam arborem, quae fuerat interdicta, aiebantur ergo alijs, quae sumebant, ne animalia corpora molestia aliquid esuriendo, aut sitiendo sentirent. & l. 14. cap. 26. cibus aderat, ne esuriet : potus, ne sitiret, & l. 1. retract. c. 13. quia etiam pristina stabilitas corporis, quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, ut in defectum non vergeret senectutus. Huic ergo pristinae stabilitati restituatur hoc corpus resurrectione mortuorum : Sed habebit amplius, ut nec alimentis corporalibus sustentetur, & l. 2. de pec. merit. cap. 21. recte intelliguntur ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse cibo vetito, atque usi fuisse concessis & praecipue ligno vitae.*

Obijcies : *si primi homines comederint & biberint in statu innocentiae : fuit in illis fames & sitis, sed*

hoc dici nequit; ergo non comederunt neque biberunt. probatur minor, quia fames & sitis habent adjunctam molestiam & miseriam, ut experientia constat. Respondeo distinguendo majorem: fuit in illis fames & sitis, id est, appetitus comedendi & bibendi ad restaurandum, quod perditum erat per pugnam qualitarum, & inordinatus, qualis in nobis est, nego: id est, appetitus naturalis comedendi & bibendi ad præveniendum iudicio rectæ rationis, ne aliquid perderetur, concedo majorem, & distincta similiter minori nego consequentiam. Fames enim & sitis posteriori modo acceptæ non habent adjunctam molestiam, neque sunt pœna peccati.



DVBIVM QVARTVM.

An primus homo fuisset mortuus, si non peccasset?

ARbitrati fuerunt olim quidam, ut refert S. Augustinus l. 6. de Gen. ad lit: cap. 22. primum hominem mortem corporis peccato non meruisse, sed propter corpus animale illum exiturum fuisse de hoc corpore ad requiem, quam nunc habent sancti; & idem docuerunt Pelagiani.

Respondeo & dico: primus homo secundum Augustinum, si non peccasset, non fuisset moriturus. probatur

batur ex l. 13. de civit. cap. 3. quapropter fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nullum mortis experirentur genus, sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, ut etiam quidam quid eorum si pe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium, non enim aliud ex eis, quam quod ipsi fuerant, nascerentur. &c. .15. unde constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege natura, qua nullam mortem hominib. Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus; terra es, & in terram ibis. consonat S. Bernardus serm. ad milit. Temp. cap. 11. ubi ait. peccatum processit, ut sequeretur mors: quod sane si cavisset homo, mortem non gustasset in aeternum.

Obijcies primò: Adam ante peccatum fuit mortalis: ergo et si non peccasset fuisset moriturus. Antecedens est Augustini l. 1. de pece: merit. cap. 3. Respondeo negando consequentiam. Dixit enim Augustinus illum esse mortalem, quia poterat mori: poterat namque peccare, & per peccatum incurrere pœnam mortis, ex hoc autem, quod potuerit mori, non sequitur fuisset moriturus. aliud enim est posse mori, aliud, debere mori: sicut aliud est posse non mori, & aliud non posse mori. primus homo ante peccatum poterat mori, & non mori: post peccatum autem debebat mori, quo spectat illud Augustini l. 6. de Gen. ad lit. cap. 25. illud ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat, id est mortale, quia poterat mori, immortale quia poterat non mori.

A s


Obijcies

Obijciat secundo: corpus primi hominis compositum fuit ex iisdem elementis, ex quibus composita sunt corpora nostra: ergo tandem fuisset homo mortuus. Respondeo negando consequentiam. licet enim considerata præcise corporis natura, & compositione nihil fuerit in illo, per quod constitueretur immortalis, beneficio tamen conditoris sui non fuisset moriturum, si homo non peccasset, juxta illud Augustini cap. 25. proximè cit. quod ei præstatur de ligno vitæ, non de constitutione natura: quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.

An autem fuerit in ligno vitæ quædam, vis supernaturalis, vel illud instar medicinæ virtute tantum naturali prohibuerit corruptionem, controversatur. Augustinus videtur tribuisse aliquam vim supernaturalē. videtur enim hoc colligi & l. 8. de Gen. ad lit. c. 5. ubi ait: illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, & talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta: quod confirmat exemplo panis, cujus una collyride Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatium vindicavit. & exemplo olei & farinæ non deficientis dicens: an forte credere dubitamus, per alicujus arboris cibum cuiusdam altioris significationis gratiam homini Deum præstitisse, ne corpus ejus vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, in occasum etiam laberetur, qui ipsi cibo humano præstitit tam admirabilem statum, ut in fictilibus vasculis farina

vina & oleo deficientes reficerent, nec deficerent & l. 13. de civit. cap. 40. ait status immortalitatis primis hominibus deligno vitæ dei gratia prestabatur.

Objicies tertio, si homo noluiſſet uti ligno vitæ, fuiſſet mortuus in ſtatu innocentix: Reſpondeo, hoc ipſo peccaſſet, quia noluiſſet adhibere media à Deo conſeſſa ad vitæ conſervationem, ut teſtatur S. Thomæ I. p. q. 97. a. 3. ad. 3.



DUBIUM QUINTUM.

An creatus fuerit primus homo cum uſu liberi arbitrij?

Reſpondeo & Dico: primus homo fuit creatus cum uſu liberi arbitrij. eſt doctrina Auguſtini in plurimis locis, præbatur ex l. de nat. & grat. c. 43. *quis eum nescit ſanum, & in culpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad juſtè vivendum poteſtate libera conſtitutum? & l. 3. de lib. art. c. 18. cum de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa ſcilicet, in qua homo factus eſt, loquimur, & l. de corrept. & grat. cap. 10. hominem fecit cum libero arbitrio & l. 14. de Civit. cap. II. fecit Deus, ſicut ſcriptum eſt, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bona, non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus Dei eſt, cum ea quippe ab illo factus eſt homo. ubi per bonam voluntatem non intel-*

intelligit S. Doctor potentiam, sed actum voluntatis liberum, quo primus homo in Deum fuit conversus. Quod confirmatur ex c. 27. ubi ait: *ac per hoc propter meritum prima mala voluntatis jam damnato, atque obdurato Angelo malo, ut jam bonam voluntatem ulterius non haberet, bene utens Deus, cur non permetteret, ut ab illo primus homo, qui rectus, hoc est, bonae voluntatis creatus fuerat, tentaretur?* ubi S. Pater per malam Angelorum voluntatem non intelligit potentiam, sed actum malum & illi opponit voluntatem bonam, id est, actum bonum primi hominis. Idem supponit S. Pater l. 1. de pecc. merit. c. 36. cum enim ibidem ignorantiam infantium ab utero descripsisset, subiecit. *cur non talis creatus est Adam? cur ille capax precepti? & valens uxori, & omnibus animalibus nomina imponere?*

Confirmatur: Pelagiani finxerunt parvulos nasci cum usu liberi arbitrij, & peccare, juxta illud Augustini l. 1. de peccat. merit. c. 34. *non tamen originaliter, inquit, sed in vita jam propria, posteaquam nati sunt, peccatum habere ceperunt*, idem docet epist. 106. intendebant autem Pelagiani per hanc doctrinam persuadere hominibus, parvulos nasci in eodem statu, in quo fuit creatus Adam, quia sciebant à catholicis doceri, & credi firmiter, Adam fuisse creatum cum usu liberi arbitrij. Confirmari etiam potest ex creatione Angelorum, quos Deus creavit cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhererunt, ut testatur August. l. 12. de civit. c. 9. ergo & primum hominem. consentit S. Bernardus, asserens, quod ab initio Deus creaverit primum hominem *in libertate ut inter summa*
& in

& infima versans & in illa ascenderet sine difficultate, & ad hac sine illecebra aut necessitate descenderet, illa penetrans naturali vivacitate, & puritate mentis, hac auctoritate dijudicans presidentis serm. 2. in septuages. & serm. in cœna D. dicit quod ab initio fuerit ditatus deo amore & agnitione.

Obijcies primo: Posteris primi hominis deest ab initio usus liberi arbitrij; ergo etiam defuit primo homini ab initio creationis. antecedens probatur ex Augustino, qui l. 5. contra Iul. c. 4. ait: *quis ignorat omnes homines, quicumque sapientes sunt ex insipientibus fieri, nisi fortè aliqui ex præconibus Mediatoris, magna ejus, multumque insolita gratia ad sapientiam, non ex insipientia, sed ex infantia transire potuerint?* probatur etiam consequentia, quia primi homines habuerunt eundem modum essendi, quem habent eorum posteris, ergo etiam habuerunt eundem modum operandi. consequentia patet, quia modus operandi sequitur modum essendi, antecedens probatur: quia si primi homines non habuissent eundem modum essendi, fuissent distincti specie à posteris.

Confirmatur, quia Adam fuit creatus in eodem statu, in quo posteris illius fuissent concepti, & nati, si ille non peccasset, sed hi non fuissent concepti, aut nati cum usu liberi arbitrij, ergo nec ille fuit sic creatus. major constat ex Augustino, qui l. 14. de civit. cap. 10. ait: *quam felices erant primi homines, & nullis agitantur perturbationibus animorum, nullis corporum ladebantur incommodis: tam felix societas universa esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traicerent,*

nec

nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret.
 Minor etiam probatur; quia posteri fuissent con-
 cepti, & nati cum ignorantia rerum agendarum,
 non pœnali, sed naturali, ut varijs in locis docet
 S. Thomas.

Respondeo ad argumentum negando Consequen-
 tiam. Ad cuius probationem nego antecedens; &
 probationem ejus. Si enim ob quamlibet diversita-
 tem modorum essendi specie distinguendi essent ho-
 mines, darentur in hoc Statu naturæ corruptæ pluri-
 mi specie distincti homines. nam testante Augustino
 l. 4. contra Iul. c. 3. *hominum alij satui, alij tardissimi
 ingenij, & ad intelligendum quodammodo plumbei, alij
 obliviosi, alij acuti, memoresque nascuntur, alii utro-
 que munere præditi; alij natura leves, alij levissimis
 causis ira facillime ardentes; alij ad vindictæ cupiditatem
 inter utrosque mediocres, alij spadones, alij in concubitu
 ita frigidi ut vix omnino moveantur, alij libidinosissimi,
 ut vix omnino teneantur; alij inter utrosque & moveri fa-
 ciles, et teneri: alij timidissimi, alij audacissimi, alij hila-
 res, alij tristes &c.* licet igitur verum sit, quod modus
 operandi sequatur modum essendi, non tamen sequi-
 tur ex hoc, quod eadem essentia habeat semper ean-
 dem modum operandi, cum sicut ejusdem essentia
 possunt esse diversi modi, & status essendi, ita etiam
 possint esse diversi modi operandi.

Ad confirmationem Respondeo negando mino-
 rem & probationem, si intelligatur de ignorantia
 rali, qualis est modo in parvulis; Augustinus enim in va-
 rijs, locis docet, parvulorum ignorantiam in hoc sta-
 tu


tu esse pœnam peccati. in illas igitur (inquit l. 1. de
 peccat: merit: c. 36.) ignorantia densissimas tenebras, ubi
 anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis,
 utique anima ration. lis, non solum indocta, verum et-
 jam indocilis jacet; quare, aut quando, aut unde, contru-
 sa est, si natura est hominis sic incipere & non jam vitiosa est
 ista natura? cur non talis creatus est Adam? ---
 iste autem nesciens, ubi sit, quid sit, à quo creatus, qui-
 bus genitus sit, jam reus delicti, necdum capax precepti,
 tam profunda ignorantia caligine involutus &c. idem
 docet ibidem c. 37. de infirmitate carnis, ob quam par-
 vuli nec lingua, nec manibus, nec pedibus uti possunt, es-
 se scilicet pœnalem. fuisset igitur in illis tantum respe-
 ctu aliquorum nescientia. neque contrarius est
 S. Thomas, sed tantum vult posteros ab initio concep-
 tionis non fuisse habituros tam perfectam scientiam
 & usum rationis, quam habituri fuissent in ætate pro-
 vecta; 1. p. q. 10. a. 1. dicens: ideo dicendum est, quod
 pueri in statu innocentia non nascerentur perfecti in Sci-
 entia. fuissent enim impediti à perfectu usu rationis per
 defectum Corporis non resistentis & obnubilantis,
 sed impotentis. fatetur autem habituros fuisse ab initio
 scientiam eligendorum. & vitandorum, ratio, cur ab
 initio non fuissent habituri scientiam, & usum arbitrij
 tam perfectum, quam habu. r. primus homo, est, quia
 non erant functuri eodem officio quo Adam, cujus
 anima, ut inquit S. Thomas q. 18. a. 7. de verit. consti-
 tuebatur ut quidam fons, unde in posteros omnis disciplina
 perveniret. Instabis, Augustinus dicit: tam felix so-
 cietas universa esset humana &c. ergo fuissent habituri
 par-

parvuli æque perfectam scientiam & ulum arbitrijo.

Respondeo negando consequentiam; quia Augustinus nondixit, futuram tam felicem universam societatem quoad omnia, quia loquitur tantum, quo ad immunitatem à *perturbationibus animorum*, quibus agitantur modo homines & *ab incommodis corporum* quibus læduantur, ut patet ex loco supracit.

Objices secundo: si homo primus in instanti creationis usus fuerit libero arbitrio, convertendo se per amorem castum ad creatorem suum, fuit specialiter à Deo applicatus, cum se ipsum applicare non potuerit ad talem actum, ergo ille actus non fuit liber; probatur consequentia; quia ille actus non est liber qui dirigitur à judicio practico, quod non est in hominis potestate, sed tale fuisset judicium practicum hominis primi, si à Deo fuisset applicatus, ergo ille actus non fuisset liber. Respondeo negando consequentiam, dato enim, quod primus homo speciali præmotione ad istum amorem fuerit à Deo applicatus, ille tamen amor fuit liber saltem elicitive cum sub judicij indifferentis directione fuerit elicitus, & licet judicium practicum non fuerit in primi hominis potestate simpliciter, & quoad inchoationem, fuit tamen in ejus potestate secundum quid, ex parte obje-

cti & secundum continuationem.



DUBIUM SEXTUM.

An primus homo secundum Augustinum fuerit creatus in statu gratiæ sanctificantis ?

DE efficacia gratiæ actualis datæ primo homini & differentia adjuvanti Quo, & sine quo non fuisse egi in dissert. de necessitate gratiæ. Hic igitur quæstio tantum est de habituali. Respondeo & dico: Primus homo fuit creatus in statu gratiæ sanctificantis. Probatum primo ex enchr. c. 106. ubi ait: *Sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Sermo est de merito de condigno, ad quod requiritur gratia sanctificans.

Probatum secundo: Quia Deus creavit hominem secundum imaginem & similitudinem suam, ut habetur Gen. 5. sed similitudo & imago hæc consistit in gratia sanctificante, aliisque donis supernaturalibus, ut docet Augustinus in cit. Enchr. c. 27. l. de spirit. & lit. c. 22. 23. & 27. & alibi, ergo &c.

Probatum tertio: Quia primus homo creatus est iustus secundum Augustinum: *Adam factus est homo, potuit esse aliud, quam factus est. Factus est enim iustus, & potuit esse iniustus.* Serm. contra Maxim. in Append.

B

ergo

ergo creatus est in statu gratiæ sanctificantis, quia per illam factus est justus.

Probatür quartò: Per rectitudinem, in qua hominem esse conditum asserit, in multis locis Augustinus intelligit etiam gratiam sanctificantem. Illam enim l. de nat. & grat. c. 41. & 43. & in Enchr. c. 104, & 106. vocat *salutem, sanitatem, justitiam, & vitam justitiae*. Et epist. 106. *integritatem, & salutem*. L. 1. de lib. arbit. *Beatam vitam &c.* ergo &c. concordat D. Mellifluus, qui serm. 35. super Cant. agens de honore, in quo primus homo ab initio fuit, dicit, quòd præcipuè fuerit in honore ob *insigne divinae similitudinis, &c.* Et tract. de grat. & lib. arb. ait, *Divina similitudinis summum gradum tenuisse summos Angelos, & Adam tenuisse medium, &c.* Hoc autem divinae similitudinis insigne fuit gratia sanctificans. Consonat quoque D. Angelicus 2.2. q. 5. a. 1. & in 2. ad Annibal. dist. 29. a. 1. & alibi.

Ratio est, quia cum Deus hominem ad beatitudinem supernaturalem creasset, & sine gratia sanctificante eam mereri non posset, essetque ab initio gratiæ capax, non erat differenda illius infusio.

Objicies primò: Apostolus 1. ad Cor. c. 15. ait: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus verò in spiritum vivificantem*: ergo primus homo creatus fuit sine gratia vivificante. Probatür consequentia; quia si uterque fuisset creatus cum gratia, malè, quoad hoc, Apostolus opponeret novissimum primo, quòd hic esset factus in spiritum vivificantem, ille verò non. Respondeo negando consequentiam.

Ad

Ad cuius probationem dico, comparationem ibi fieri inter hominis primi creationem, & novissimi, id est, Christi gloriosam resurrectionem, ut testatur S. Augustinus l. 13. de Civit. c. 23. dicens: *In eo ergo, quod scriptum est, Factus est primus homo in animam viventem, voluit apostolus intelligi corpus hominis animale; spirituale autem quemadmodum intelligendum esset, ostendit addendo: Novissimus autem in spiritum vivificantem, procul dubio Christum significans, qui jam ex mortuis ita resurrexit, ut mori omnino deinceps non possit.*

Objicies secundò: S. Augustinus l. 2. de Gen. contra Manich. c. 8. docet, primum hominem conditum fuisse sine gratia; ergo non docet fuisse creatum in statu gratiæ sanctificantis; patet consequentia, quia aliàs sibi contradiceret. Antecedens probatur: quia explicans ibidem locum hunc Gen. 2. *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vite,* ait: *Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animale. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in paradiso constitutus &c.* Respondeo negando antecedens, & ad probationem dico, Augustinum per citata verba tantum velle, nondum significari gratiam homini fuisse infusam, sive etiam spiritualem factum fuisse, sed hoc potius significari per vocem, *Paradisus.*

Objicies tertio: S. Augustinus l. 11. de Gen. ad lit. c. ult. ait: *Si jam spiritualis erat Adam, quamvis mente, non corpore, quomodo credere potuit, quod per serpente dictum est, ideo Deum prohibuisse, ne fructu ligni illius vescerentur; quia sciebat eos, si fecissent, futuros ut Deos?*

hoc mirum, si homo spiritualis mente præditus credere potuisset! ergo secundum Augustinum non fuit creatus primus homo in gratia sanctificante.

Confirmatur: Liberum arbitrium Adami secundum Augustinum non fuit adjutum, ut patet ex illo l. de cant. no. c. 8. *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est, ergo.*


Respondeo ad argumentum negando consequentiam. Licet enim primus homo non fuerit spiritualis, sive non habuerit gratiam sanctificantem, quando credebatur serpenti, modo infra explicando, sed eam per peccatum amiserit, habuit tamen ante peccatum, quod statim post tentationem commissam expulit gratiam.

Ad confirmationem similiter nego consequentiam, quia S. Augustinus ibi non loquitur de gratia habituali, sed actuali necessaria ad operandum, ut patet ex dictis in dissert. de sufficientia & necessitate pœnit. & grat.

Instabis, S. Augustinus ait lib. de corrept. & grat. c. 10. *Deus sic ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut prius in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset sue gratiæ beneficium, justitiæque judicium*: ergo secundum Augustinum primus homo non fuit creatus in statu gratiæ, sed in statu puræ naturæ. Respondeo negando consequentiam. Si Pater enim loco citato agit de gratiæ naturæ integræ & lapsæ disparitate, sive de *adjutorio sine quo non & Quo*, vultque Angelis & primis hominibus in statu innocentiae non fuisse datum, neque necessarium tale adju-

adjutorium, quale fuit datum & necessarium lapsis, id est adjutorium Quo medicinale, de quo latius actum in Dissert. cit. de sufficient. & necessit. grat. S. Thomas 1. p. q. 95. a. 1. ad 3. aliter respondet & ostendit non obstare conclusioni allegatum textum.

Urgebis: Notum est illud Augustini: *Qui creavit te sine te, non justificat te sine te*: Ergo cum primus homo productus fuerit in perfecta ætate, cum usu liberi arbitrii, ut probatum est ex S. Augustino, non fuit justificatus sine prævia dispositione; ac proinde in primo instanti creationis non accepit gratiam sanctificantem. Respondeo, primum hominem in primo instanti à Deo adjutum se ad gratiam sanctificantem disposuisse, & eam accepisse.



DUBIUM SEPTIMUM.

An primus homo in paradiso fuerit felicior omnibus justis in statu naturæ lapsæ?

NOTA, Justos in hoc statu corruptionis posse distinguere in eos, qui certi sunt & securi de sua perpetua futura felicitate ex divina revelatione; & in eos, qui incerti sunt, an in bono usque ad finem sint perseveraturi.

Dico primò: Primus homo in paradiso fuit felicior omnibus justis hujus status de beatitudinæ non securis.

B 3

Pro-

Probatur ex l. 11. de civit. c. 12. ubi S. Augustinus ait: *Quantum itaque pertinet ad delectationem presentis boni, beator erat primus homo in paradiso, quam quilibet iustus in hac infirmitate mortali.* Idem colligitur ex c. 26. ubi ait: *Vivebat homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jufferat. Vivebat fruens Deo; vivebat sine ulla egestate; hæc enim non possunt dici de hominibus iustis in hac miseriarum valle.*

Dico secundò: Iusti in hoc statu de sua beatitudine securi sunt feliciores, quam fuit primus homo in paradiso. Ita Augustinus loco cit. *Quantum autem ad spem futuri boni, beator quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine sine se habiturum omni molestiâ carentem societatem Angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus, in magna illa felicitate paradisi.*



DUBIUM OCTAVVM.

An primus homo fuerit ante lapsum beatus beatitudine patriæ secundum Augustinum?

Ratio dubitandi sumitur ex variis Augustini testimoniis, quibus videtur asserere, primos homines
ante

ante casum fuisse beatos beatitudine patriæ, ut patebit ex objectionibus.

Respondeo & dico: Primus homo secundum Augustinum ante lapsum non fuit beatus beatitudine patriæ. Colligitur primò ex illo Ench. c. 25. *Mortis supplicium Dominus ei comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio; atque in paradisi felicitate tanquam in umbra vita, unde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocavit; ubi per meliora intelligit Augustinus beatitudinem patriæ; ergo sentit, quòd eam nondum in paradiso habuerit, sed consecuturus fuisset, si in iustitia perseverasset.* Et ibidem ex c. 104. ubi ait S. Pater: *Primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios, sine interpositione inortis ad meliora perducere, ubi iam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posses habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset.*

Colligitur secundò ex I. de cor. & grat. c. 10. ubi ait: *In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujus permansionis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati: ergò secundum Augustinum primus homo non fuit creatus in statu beatitudinis, sed hæc illi pro præmio perseverantiæ fuisset danda.* Quod confirmari potest ex I. 14. de civit. c. 10. ubi docet, quòd primus homo cum posteris suis, si non peccassent, permanfu-

rus fuisset in fælicitate paradisi, donec per illam benedictionem, qua dictum est, *crescite & multiplicamini*, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia major daretur, quæ beatissimis Angelis data est.

Objicies primò: Augustinus l. II. de civit. c. 12. ait: *Quis enim primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum?* Respondeo, hoc, & similia, quæ ex Augustino possent opponi, intelligenda esse de beatitudine viæ. Quo sensu ibidem dicit, *non impudenter beatos vocari eos, quos videmus justè, ac piè cum spe futura immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine vastante conscientiam.* Ideò ergò docuit S. Pater, primos homines in paradiso fuisse beatos, quia non erant obnoxii ulli miseræ criminis, aut pœnæ; & quia sentiebant in sua potestate esse non mori, & non fieri miseros.

Objicies secundò: Secundùm Augustinam Adam ante ruinam vidit Deum; ergo fuit beatus beatitudine patriæ. Consequentia patet, quia beatitudo patriæ consistit essentialiter in visione Dei. Antecedens autem probatur ex S. Augustino, qui conc. 2. in psal. 70. de Adamo sic discurret: *Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto, in media opulentia, mediisque delitijs, cui magnæ delitiæ erant visio Dei, cujus faciem quasi inimici timuit post peccatum?* Et l. de catech. rud. c. 17. ubi ait: *Quòd homo lapsus perdiderit requiem, quam habebat in Christi Divinitate.* Et c. 18. *Quòd Deus primos homines constituerit in quodam loco perpetua beatitudinis, præceptumque illis dederit, quod si non transgredenterentur, in illa semper immortalitatis beatitudine permanerent.*

rent. Quæ non videntur posse aliter intelligi, quàm de beatitudine patriæ, sive de visione & fruitione Divinitatis; quod adhuc confirmari potest ex l. 2. qq. Evang. q. 19. ubi ait: quòd *Adam à beatitudine cœlestis Hierusalem lapsus sit.*

Respondeo negando antecedens; & ad primum objectum locum dico, Augustinum loqui de visione corporea Dei in assumptione creaturæ, per quam permittit l. 9. de Gen. ad lit. c. 12. Deum fuisse Adæ locutum, & asserit, esse visum aliis sanctis Viris, *non verò per substantiam, quæ ipse est.*

Ad secundum respondeo, per requiem in Divinitate, ab Augustino intelligi cognitionem Dei abstractivam.

Ad tertium dico, Eum tantùm velle, homines primos, sicut ab initio Deo adhæserant, per contemplationem, & castum amorem, ita semper ei fuisse adhæsurus, si per transgressionem præcepti, amorem non interrupissent. Per quod non negat, eos absoluta via consecuturos fuisse perfectiorem contemplationem, id est, claram Dei visionem. In quæst. autem cit. dicit Adam lapsum à beatitudine Hierusalem, quia per lapsum ipse cum posteritate sua excidit jure possidendi civitatem cœlestem. Quo sensu alibi dicit, *nos ob peccatum Adæ exulare ab incommutabili gaudio, & ad illius reditum suspirare.*

Objicies tertio: Augustinus l. 9. de Gen. ad lit. c. ult. ait: quòd *mens Adami fuerit facta particeps angelicæ curiæ, & intraverit in sanctuarium Dei: ergo Adam vidit Deum, ergo fuit beatus beatitudine patriæ.* Re-

spondeo dissimulata prima consequentia, negando secundam: quia non quælibet Dei visio constituit beatitudinem patriæ. Admisso igitur, quòd Adam viderit Deum transeunter in ectasi, quam Deus in illum immisit, ut ipsius mens per eam particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei, intelligeret novissima, ut loco jam cit. loquitur Augustinus; non tamen dicendus fuisset beatus beatitudine patriæ, quæ in clara & perpetua Dei visione consistit.



DVBIVM NONVM.

An primus homo potuerit peccare in primo instanti creationis?

EXstat in Augustino locus infra citandus, ob quem ille posset videri, sensisse, quòd primus homo in primo instanti potuerit peccare; hinc resolvenda est proposita quæstio, & examinandum, an hæc sententia sit Augustino conformis?

Respondeo & dico: Primus homo in primo creationis instanti non potuit peccare: neque contrarium sensit Augustinus.

Probatut prima pars iisdem argumentis, quibus solet probari, Angelos non potuisse peccare in primo instanti. Primò: quia sequeretur, peccatum tribuendum esse Deo; ergò non potuit peccare in primo instanti.

stanti. Probat^{ur} antecedens; quia operatio quæ incipit cum esse rei, & se habet ut principium cæteratum, remque constituit in actu primo ad se movendum, tribuitur ei, à quo habet esse.

Probat^{ur} secundò: Quia intellectus primi hominis non potuit in primo instanti creationis habere defectuosam cognitionem practicam; ergo nec voluntas defectuosam volitionem, aut nolitionem. Consequentia patet, quia defectus voluntatis dependet à defectu intellectus. Antecedens probatur: quia in primis non potuit habere talem cognitionem à se, sive per applicationem voluntatis, cum illa cognitio fuerit prima, & voluntas applicare non possit potentiam ad cognitionem sine prævia cognitione. Deinde non potuit esse prima illa defectuosa cognitio à Deo, quia intulisset infallibiliter peccatum, & hoc consequenter fuisset tributum Deo.

Confirmatur: Si primus actus voluntatis primi hominis in instanti creationis potuisset esse peccatum, potuisset homo se ad illum in isto instanti applicare; sed hoc non potuit, ergò non potuit in primo instanti peccare. Probat^{ur} major, quia nemo potest peccare sine propria applicatione; minor etiam probatur: quia potestas applicandi se ad actum supponit actum, cum pura potentia se non possit reducere in actum, ergò non potuit se applicare ad primum actum.

Secunda pars conclusionis, quòd nempe Augustinus non senserit contrarium, constabit ex responsione ad objectionem statim ponendam.

Objicies primò: Augustinus insinuat, quòd illi non
erra-

erraverint, qui olim docuerunt, diabolum ab initio, id est, in primo instanti peccasse, & consequenter potuisse peccare; ergò dicendum est, quòd etiam Augustinus senserit, non errare, sed verum dicere dicentes, primum hominem ab initio potuisse peccare. Consequentia patet à pari. Antecedens probatur ex l. ii. de civit. c. 13. ubi postquam retulisset prædictam sententiam, subjicit: *Huic sententia quisquis acquiescit, non cum illis hereticis sapit, id est Manichæis, & si qua alia pestes ita sentirent, tanquam ex adverso quodam principio diabolus habeat naturam mali.* Respondeo negando antecedens; & ad illius probationem dico, Augustinum non asserere, quòd contraria sententia sit vera, seu à veritate non aberret, sed tantum quòd careat errore Manichæorum, ut patet ex sensu.

Objicies secundò: Homo potuit in primo instanti bene operari, & mereri; ergo & malè, & demereri. Probatur consequentia, quia de eo qui potest bene operari, verum est illud Eccle: 31. *Potuit facere mala, & non fecit.* Respondeo negando consequentiam, quia non est par ratio, ut manifestum est in Christo, qui ab initio conceptionis operatus fuit bene, & meruit; & tamen in nullo instanti potuit operari malè, & demereri. Et si Deus merito non præfixisset statum viæ, possent Beati mereri, & tamen non peccare. Primus igitur homo à Deo specialiter applicatus, potuit operari bene, & mereri; non autem malè & demereri, quia non potuit se applicare ad malum, ut jam probatum est.

Objicies tertio: Multi homines in primo instanti
usus

usus rationis peccant, quia se non convertunt ad Deum, & tamen peccatum non tribuitur Deo; ergo etsi primus homo in primo instanti peccasset, non fuisset tamen peccatum illius tribuendum Deo. Prima pars antecedentis probatur: quia secundum S. Augustinum & S. Thomam homo in primo instanti usus rationis tenetur se convertere ad Deum; sed hoc multi non faciunt, ergo multi peccant. Respondeo negando consequentiam: ratio disparitatis est, quod natura integra habuerit Deum creatorem; corrupta verò ut talis non habeat. Unde natura corrupta etiam in primo instanti usus rationis secundum corruptam inclinationem suam potest operari. Potest igitur puer in primo instanti antecederet ad actum deliberatum elicere alios actus imperfectos circa bonum delectabile, & per hos mediante iudicio practico defectuoso ad actum malum se applicare, quod non potuit dici de homine primo.

Dices, in uno instanti non potuit fieri huiusmodi deliberatio & applicatio. Respondeo, doctrinam S. Augustini & Thomæ non esse intelligendam de instanti indivisibili sive physico, sed de divisibili, & morali, sive mora aliqua temporis, quæ secundum diversitatem complexionis, & ingenii, longior aut brevior esse potest; unde saltem in fine illius moræ, sive in instanti terminativo attingentiæ usus rationis, ut loquuntur Discipuli S. Thomæ, potest se applicare ad peccatum, licet id nequeat in instanti physico, sive initiativo.

Objicies quartò: Homo primus in primo instanti
crea-

creationis liberè amavit Deum; ergò potuit omittere amorem, sed omissio amoris fuisset peccatum, eò quòd teneretur amare; ergò potuisset peccare. Respondeo distinguendo consequens; ergò potuit omittere potentia antecedente, in sensu diviso, aut omissione physica aut naturali, concedo: potentia consequente in sensu composito, aut omissione morali & culpabili, nego consequentiam.

Objicies quintò: Homo primus in instanti creationis præter judicium indifferens ex parte intellectus habebat ex parte voluntatis potentiam peccandi; ergò nihil illi defuit ad peccandum necessariò requisitum. Respondeo dissimulato antecedente, negando consequentiam, quia ad peccandum requiritur judicium practicum defectuosum, ad quod pro primo instanti se non potuit applicare, & idè potentia peccandi non potuit reduci in actum, nisi pro instanti sequenti.



DVBIVM DECIMVM.

An potuerit primus homo in statu innocentie peccare venialiter?

NEgat S. Thomas, Ægidius noster Romanus, cum plurimis aliis. S. Augustinus autem videtur favere sententiæ affirmanti, ob quædam loca.

Nam

Nam in primis l. 14. de civit. c. 10. dicit: *Primos homines fuisse permansuros in statu sua felicitatis, si nec ipsi, nec quisquam ex eorum stirpe, iniquitatem committeret, quae damnationem reciperet &c.* Ex quo loco videtur colligi, S. Patrem sensisse, primos homines potuisse peccare venialiter in illo statu, quia peccatum veniale non est iniquitas recipiens damnationem. Et ibid. c. 11. ait: *Sed inexpertus divinae severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet, esse commissum, &c.* quod non videtur fuisse crediturus, si non potuerit peccare venialiter. Et l. 11. de Gen. ad lit. c. 5. ait: *Non est arbitrandum, quod esset hominem dejecturus tentator, nisi praecessisset in anima hominis quadam elatio comprimenda.* His non obstantibus

Respondeo & dico, Augustinum favere sententiae negativae. Colligitur ex cit. c. 10. ubi statum primi hominis describit his verbis: *Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se conjugum fida, & sincera societate viventium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente, quod amabatur ad fruendum. Erat evitatio tranquilla peccati, quae manente, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat. An forte cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere; sed mori metuebant: ac per hoc & cupiditas, & motus, iam tunc illos homines in illo perturbabat loco? absit, ut hoc existimemus fuisse. Vbi nullum erat omnino peccatum, neque enim nullum peccatum est, ea quae lex Dei prohibet, concupiscere, atque ab his abstinere timore poenae, non amore justitiae &c.* Quae descriptio satis indicat, Augustinum sensisse, in tali statu nullum peccatum veniale potuisse

potuisse habere locum, à quo & alibi omnem pœnam, & malum voluit esse remotum, non minùs quàm omnem æstum & frigus à paradiso, in quo habitabat primus homo. S. Bernardus similiter describit fœlicitatem status primi hominis serm. in cœna D. *Primus parens noster paradisi accola constitutus est, Dominus terra stabilitus est, civis supernæ Hierusalem designatus est, domesticus Domini factus est: cuius amore & agnitione ditatus est consors Angelorum, frater & coheres celestium virtutum, nihil prorsus indigentia, nihil sentiens molestia: cui erant in promptu, quæ postulabat: non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cum nihil esset in anima, quod offenderet, nihil in carne quod puderet. Hic honor & hæc dignitas erat hominis, &c. Cum huiusmodi fœlicitatis statu non potest consistere peccatum veniale. Imò ipsa ratio, qua S. Thomas probat, in statu innocentia non potuisse committi peccatum veniale, fundatur in doctrina S. Augustini. Consistit enim in hoc, quod omne peccatum veniale contingat propter aliquem defectum ordinis, ex eo quod inferius non continetur firmiter sub superiori, &c. Sub qua propositione, (quæ habetur I, 2. q. 69. a. 3. in O.) subsumit S. Doctor: In statu autem innocentia erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, ut etiam Augustinus dicit l. 14. de civit. Dei. & ideo oportebat, quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc, quod summum hominis non subderetur in Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet, quod homo in statu innocentia, non potuerit peccare venialiter, antequam*

tequante

æquam peccaret mortaliter, &c. Docet autem id S. Augustinus cit. c. 10. & 13. ubi ait: Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigeret, ut ve. illa verum crederet, dixisse serpentem; vel illo Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, &c. Quem locum S. Thomas citat etiam de malo q. 7. a. 7. idem probans.

Ad primum locum objectum respondeo, non posse ex illo quidquam colligi in favorem oppositæ sententiæ. Sensus enim est, quod primi homines cum tota sua stirpe perpetuò fuissent permansuri in statu felicitatis, si nullus eorum committeret peccatum; si autem aliquis peccaret, damnationem recepturum.

Ad secundum patet responsum ex verbis c. 13. proximè citatis, scilicet, primum hominem tunc fuisse in statu naturæ lapsæ, dum credebatur esse veniale, quod erat mortale; quia jam præcesserat superbia, qua obtenebratus fuit. Aversus enim erat ab amore superioris immutabilis boni ad sibi placendum; ac proinde falli poterat putando, se venialiter tantum peccaturum, si socius fieret uxoris in transgrediendo præcepto.

Adde, quòd secundum S. Thomam S. Augustinus per rō veniale intellexerit de facili remissibile, in quo credendo Adam fuit deceptus. Licet enim esset remissibile, non tamen erat remissibile tam facile, quam ille credidit; cum non esset remissibile sine incurso reatu mortis, & amissione sui status.

C

Ad

Ad tertium dico, sensum esse, quòd tentator non fuisset hominem dejecturus in externam prævaricationem, nisi præcessisset superbia, quæ ipsum jam deiecerat à statu innocentia, eò quòd mortalis esset. Erat enim averfio à Deo summo bono ad bonum commutabile.


Objicies. In ipsa superiori parte primi hominis in tali statu potuissent oriri subiti motus infidelitatis, odii &c. Ergo potuisset peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter. Respondeo negando antecedens; quia tales motus indeliberati involvunt imperfectiorem repugnantem tali statui, secundum S. Augustinum & S. Thomam, & solent oriri ex inordinatione partis inferioris. Hinc in Angelis non reperiuntur, neque in anima separata.

Instabis. Primus homo fuit in isto statu motus ad peccandum à motivo mortali: ergo à fortiori potuit moveri à motivo veniali. Contrà: Sicut non sequitur: Petrus fortissimus fuit victus à tribus: ergo etiam potuit vinci ab uno. Ita nec hîc: potuit peccare mortaliter; ergo etiam venialiter. Ratio est, quia motivum veniale est parvum & debile respectu primi hominis, qui fuit fortissimus ob justitiam originalem &c. & peccatum mortale destruit integritatem; veniale autem non destruit, ut supponitur, ac proinde nequit cum illo consistere, cum omnis inordinatio repugnet integritati.

Urgebis: Potuit prohiberi à Deo esus de ligno sub veniali, ergo potuit homo peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter. Respondeo negando consequen-

sequentiam, quia etsi in isto statu haberet homo liberum arbitrium ad peccandum venialiter, non poterat tamen exire in actum, nisi præcederet peccatum mortale, quamdiu ratio manebat subdita Deo. Stante enim ista subjectione, quæ sine peccato mortali tolli non poterat, manebat inferior pars subiecta superiori ita, ut nihil ab ea fieret, quod non ordinaretur in Deum, in quem peccatum veniale ordinari nequit.

Dices: Poterat liberè omittere jocosum mendacium, vel verbum otiosum in dicto statu, & per illam omissionem mereri: ergo etiam potuit oppositum velle, antequam peccaret mortaliter. Probatur consequentia: quia alioquin non liberè omisset. Respondes negando consequentiam, & ejus probationem, quia ommissio illa libera dependisset ab actu libero, sine quo non potest ommissio libera dari.



DUBIUM UNDECIMUM.

An primum primi hominis peccatum potuerit oriri ex rebeli concupiscentia?

Respondeo & dico primò: Primus homo creatus fuit sine omni interiori motu, & sollicitatione ad malum. Est indubitata doctrina S. Augustini contra Pelagianos. Probatur primò ex lib. de corrept. & grat. c. ii. *Ille verò nulla tali rixa à seipso adversus seipsum*

ipsum tentatus, & atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Et c. 12. Tales vires habebat ejus voluntas, qua sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat.

Probatur secundò ex lib. 1. Oper. Imperf. c. 71. Ergonè & in Paradiso ante malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem illiciti cibi libido jam fuit? Et videbant illi homines fructum ligni prohibiti, & concupiscebant: sed ut non manducarent, concupiscentia spiritus carnis concupiscentia repugnabat? Et vivebant in loco illo tanta beatitudinis, non habentes in seipsis pacem mentis & corporis? non usque adeo dementes estis, ut ista credatis: non usque adeo, ut ista dicatis.

Probatur tertio ex lib. 14. de Civ. Dei, c. 26. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus aestus aut frigus: sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bona voluntatis offensio.

Consentit S. Bernardus supra cit. serm. in Coen. D. Nihil sentiens molestiae, -- cum nihil esset in anima, quod offenderet, nihil in carne, quod puderet, &c. Et serm. 2. in Septuag. ait: Sanè non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, gravat animam, ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noverit extitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum. Et serm. ad milit. Temp. c. 11. rebellionem ortam esse ex peccato: Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam, inveniet anima suam sibi rebellem pedissequam -- legem in membris suis repugnantem legi mentis. Et serm. 72. sup. Cant. Porta-

mus omnes impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ &c. Dicitque quod Eva vivat in nobis, per hereditariam concupiscentiam.

Dico secundo. Primum peccatum in primo homine, in statu Innocentiæ, non potuit oriri ex cæca & indomita concupiscentia. Ita Augustinus in variis locis & libris, præcipuè illis, quos scripsit contra Iulianum. Probat: quia docet Augustinus rebellem concupiscentiam esse naturæ vitium, & vulnus inflictum à Diabolo: ergo non potuit esse in primo homine ante peccatum, ac proinde ex illa oriri non potuit primum peccatum. Consequentia patet, quia Deus non potest potentia saltem ordinariâ hominem sine sua culpâ creare cum vitio inclinante ad peccatum; neque ante peccatum potuit illi à Diabolo infligi tale vulnus. Probat antecedens primo ex lib: 1. de nupt: & concup. c. 2; ubi ait: *Hoc humanogeni inflictum vulnus à Diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tanquam de suo frutice fructum jure decerpit: non quod ab illo sit natura humana, quæ non est nisi ex Deo, sed vitium, quod non est ex Deo.*

Probat secundo ex lib. de grat. Christi c. 20. *Aliud est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium ----- Cupiditas hominis quæ vitium est, hominem habet auctorem, non hominis auctorem.*

Probat tertio ex lib. 3. cont. Iul. c. 21. *Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione ejus, me verò laude ejus; sed ego respondeo, ut vincatur, qui laudat, judicat, qui pugnat. Si enim malum est cur laudas? si bonum est,*

cur expugnas? --- Quamdiu igitur expugnator libidinis eris, tamdiu pro me contra teipsum iudex eris. &c. c. 23. Si malum est concupiscentia, cur laudas? si bonum est, cur expugnas? si autem nec bonum nec malum est, ut quid laudas, ut quid expugnas? quamdiu igitur expugnator libidinis eris, tamdiu pro me contra teipsum iudex eris.

Probatur quarto ex lib. 4. cont. Iul. c. 13. Duo enim bona, quæ à Patre Deo sunt, inter se pugnare non possunt. Pugnant autem inter se continentia & concupiscentia: quid horum à Patre magis velis esse, responde.

Probatur quinto ex lib. 5. c. 7. Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum, aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. &c. Quo loco S. Pater infert contra Iulianum concupiscentiam esse malam eo, quod contra illam pugnet continentia, quæ est bona, & his eum verbis compellat: Adhuc non evigilas, ut intelligas, nostram naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnamus?

Probatur sexto ex lib. 1. Oper. Imperf. contra eundem Iulianum c. 71. ubi ait S. Pater: Si ei consentis, malum agnosce peccando, si ei resistis, malum agnosce repugnando. Et in psal. 118. dicit. Odio habemus concupiscentiam nostram, qua caro concupiscit adversus spiritum. Plura possent ex Augustino adduci testimonia, sed hæc sufficiunt. Quid sentiat S. Thomas infra patebit.

Hanc Augustini sententiam fuisse agnoscit claris verbis Dionysius Petavius lib. 13. de Incarn. c. 6. s. 10. ubi ait: A qua heresi (id est Pelagiana) ne illud quidem abhor-

abhorret, quod peccati fomitem concupiscentiam bonam esse defendit, --- Hæc quam Augustini doctrina contraria sint, intelligunt, qui in ejus libris utcumque versati sunt: Etenim plenis ille voluminibus istam ipsam concupiscentiam malam esse, & à malo, id est, peccato, non à Deo congeneritam, ideoque peccatum ab Apostolo nominari docuit. Contra quod Augustini decretum Pelagiani toto ingenij sui impetu ac pertinaci contentione certarunt, præsertim sectæ Coriphæus Iulianus. Qui eodem, quo Prædestinati Author, argumento adversus Augustinum ad propugnandum usus est concupiscentiam. Itaque vel nimium confidens vel extremè imperitus ille scriptor fuerit, qui protritum aded ac vulgare Augustini dogma aut ignoravit omninò, aut, ut sciat, occultando ac dissimulando latere se posse speraverat.

Objicies primo. Actus concupiscentiæ sunt boni & honesti; ergo ipsa concupiscentia non est vitium naturæ humanæ: ergo potuit esse in primo homine innocente. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia in conjugatis motus concupiscentiæ sunt boni.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem ejus dico cum Augustino lib. 4. Oper. imperf. c. 23. *Pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam sive de illicito sive de licito percipere voluptatem frænat ab illicito, permittit ad licitum: hoc est bonum, non tamen ejus, sed benè utentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit, sive ad licitum, sive ad illicitum indifferenter ardere, utique malum est. Hoc utique malo benè utitur pudicitia conjugalis.*

Objicies secundo. Si concupiscentia mala sit, quia actus ad quos inclinatur mali sunt, ergo etiam voluntas est mala (idem est de appetitu sensitivo) quia illius actus etiam mali sunt: ergo nec hæc nec ille potuit esse in primo homine innocente, nec Deum habere creatorem. Respondeo negando consequentiam, quia voluntas elicit multos actus bonos; concupiscentia rebellis non nisi ad malum inclinatur secundum S. Augustinum. Adde secundum S. Augustinum non dari causam efficientem malæ voluntatis sed deficientem tantum. Ad appetitum sensitivum quod attinet, fuit homo creatus rectus cum perfecta subiectione corporis ad animam, & virium inferiorum ad rationem. Unde motus illius contra rectam rationem & inclinationes ad peccata non sunt referendæ in Deum, quia non proveniunt ex appetitu secundum quod à Deo fuit institutus, sed secundum quod defecit ab illius subordinatione. *Pecori, inquit S. P. Augustinus lib. I. de peccat. merit. c. 40. comparatur homo per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed natura: tanta namque excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.*

Objicies tertio. Ideò Adam peccavit, quia appetitus sensitivus illius concupivit pomum vetitum: ergo concupiscentia præcessit omne peccatum primi hominis, & per eam fuit sollicitatus ad peccatum. Hoc est argumentum Iuliani. Respondeo negando consequentiam, & dico cum Augustino lib. I. Operis imperf. c. 71. *Præcessit mala voluntas, qua serpenti subdolo crederetur, & secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur illicito.*

Ob-

Objicies quarto. Concupiscentia est perfectio brutorum, ergo est perfectio hominis; ergo fuit in primis hominibus ante peccatum. Est similiter argumentum Iuliani, qui lib. 4. Oper. imperf. c. 56. sic instat contra Augustinum: *Absolvit suos, canes, & asinos, ut Manichaeos vitare videaris, sed damnas propter hoc idem, quod Manichaeus, omnes homines, qui ad imaginem facti sunt: ac nusquam malum naturale constituens nisi in imagine Dei. Concionaris contra nos accusator sanctorum, & patronus asinorum.*

Respondeo negando consequentiam, cum Augustino, qui ibidem argumentum in adversarium retorquens ait: *Quid est quod dicis, Calumniator Catholicorum, & adiutor Manichaeorum? --- nonne accusator sanctorum & patronus asinorum ab homine huius cordis, cuius & ipse es, appellari posset, qui diceret ignorantia veritatis homines fieri miseros posse, asinos vero, nesciendo veritatem, miseros esse non posse? & tamen verissimè diceret. Cur ergo non intelligis, asine, similiter esse verum, ex commixtione maris & foeminae expertes delicti homines nasci non posse, & asinos posse? --- sic ergo in libidine agnosce & pecorū naturam & hominis poenam, si animam non habes asinam. &c.* Non est igitur concupiscentia vitium in brutis, quia est conformis eorum naturae, nec repugnat rationi quam non habent, juxta illud Augustini lib. 4. c. 5. cont. Iulian. *Hac autem libido idè mala non est in belluis, quia non repugnat rationi, qua carent.* Licet igitur homini, in quantum est animal, sit conveniens naturaliter concupiscere bona sensibilia, non tamen appetitui sensitivo hominis, ut rationali appetitui

subjecto, naturale est sensibilia concupiscere contra ordinem rationis. Audiamus iterum S. Augustinum lib. 2. de Gen. cont. Manichæos c. 21. ad propositum nostrum sic discurrentem : *Ad hujus rei exemplum foemina facta est, quam rerum ordo subjugat viro; ut quod in duobus hominibus evidens apparet, id est in masculo & foemina, etiam in uno homine considerari possit: ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio subjugatum, & juxta lege modum imponat adjutorio suo, sicut vir debet foeminam regere, nec eam permittere dominare virum, quod ubi contingit, perversa & misera est domus.* Ex quibus constat, disparem esse rationem de brutis, in quibus nullus est appetitus rationalis, & hinc concupiscendo sensibilia non resistunt ulli superiori.

Objicies quinto : Deus vult, ut homines nascantur cum concupiscentia, & ut illa maneat in renatis; ergo non est mala. Respondeo negando consequentiam: vult etiam Deus hoc sensu, ut homines nascantur cum peccato originali, à quo posset eos, antequam nascerentur, liberare, & impedire, ne cum illo conciperentur, & tamen inde non potest deduci, peccatum non esse malum. Voluit Deus, ut primi hominis appetitus sensitivus, subjiceretur rationi, & hæc sibi, sed quia rationalis appetitus fuit à Deo aversus, fuit introducta rebellis concupiscentia, à qua pœna Deus non vult posteros Adæ liberare, ob primum illud grande peccatum, per quod natura fuit in deterius mutata.

Objicies sexto : Deus per concupiscentiam punit hominis peccatum; ergo ea est laudanda, sive, ut Iulianus

nus

ius ait apud Augustinum lib. 5. cont. Iulian. c. 4. *Laudis præconio prædicanda.* Respondeo negando sequelam, non enim omne, quod est pœna peccati; laudandum est, cum secundum S. Augustinum unum peccatum possit esse alterius pœna. Unde loco cit. respondet S. Pater Iuliano; *Si prudenter hic saperes, profecto esse iniquitatem videres, quia pars inferior hominis repugnat superiori, atque meliori.* Et c. 3. ibidem. *Nec cogitas, posse te isto modo laudare Angelos malos, qui utique non sunt nisi prævaricatores, atque impij: per quos tamen Deum meritis pœnas irrogare peccantibus sancta scriptura testatur. --- prædica igitur iniquissimas potestates, quia per ipsas mala tribuuntur malis.*

Objicies septimo: Sicut panis & vinum, alique cibi sunt boni, etsi eorum abusus sit malus; ita etiam concupiscentia est bona, licet illius abusus sit malus. Simili argumento utebatur quoque Iulianus, cui Augustinus lib. 3. contra eundem cap. 20. respondet in hunc modum: *Atque ita vis intelligamus libidinem bonam, sed homines, qui ea malè utuntur esse culpabiles, sicut bona est natura panis & vini, quamvis ea malè utendo peccetur. Non intelligis, quid loquaris, ut non videas creaturam panis & vini non concupiscere adversus spiritum, sed ipsam potius inhoneste à male utentibus concupisci, & ea forinsecus in nostrum corpus intrare. Qua idè parcius & restrictus est utendum, ne ipsa concupiscentia -- adversus nos vehementius & invictius concitetur.*

Objicies octavo: Sicut appetitus rationalis movetur à bonis honestis, ita appetitus sensitivus à delectabilibus & fortius, quam ille, quia delectabilia repræsentantur

tantur per proprias species ; ergo poterat appetitus sensitivus primi hominis à bonis delectabilibus moveri , & motu suo rationem præveniente hominem primum sollicitare & inclinare ad peccatum.

Respondeo negando consequentiam , quia motus appetitus sensitivi præveniens rationem & trahens ad peccatum est pœna peccati , & hinc non poterat esse in primo homine ante peccatum , in quo *voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit, nec præcessit voluntatem, nec restitit voluntati*, ut Augustinus ait lib. I. operis imperfecti. cont. Julian. c. 71. sicut supra quoque dictum est ad objectionem secundam.

Objicies nono. Si concupiscentia sit pœna peccati ; sequitur , quod subjectio partis inferioris ad superiorē homini immuni à peccato sit debita , sed hoc dici non potest ; ergo concupiscentia non est pœna peccati. Sequela majoris probatur ; quia si non esset debita subjectio , posset homo etiam immunis ab omni peccato illa carere sive pati rebellem concupiscentiam : ergo concupiscentia non esset pœna peccati. Probatur etiam minor, quod scilicet non possit dici, subjectionem partis inferioris homini immuni à peccato esse debitam ; quia illa subjectio non oritur ex intrinsecis naturæ principiis, sed potius potentia concupiscendi, sicut & potentia peccandi. Deinde si subjectio illa esset naturæ debita , sequeretur hominem per peccatum fuisse vulneratum in naturalibus, cujus contrarium videntur docere SS. Patres. asserunt enim , hominis naturalia post primum hominis peccatum mansisse integra. Respondeo distinguendo majorem , sequitur quod
sub-

subjectio partis inferioris ad superiorem homini im-
 muni à peccato sit debita , si spectetur homo prout
 substat divinæ gubernationi , concedo ; si spectetur
 præcisè secundum principia intrinseca ; nego sequelam
 majoris , conformiter ad illud Augustini lib. 4. contra
 Julian. cap. 17. *Gratia quippè Dèi magna erat, ubi ter-
 renum & animale corpus bestialem libidinem non habebat.*
 Et distincta similiter minore, nego Consequentiam.
 Huc facit etiam illud S. Thomæ in 4. cont. gent. c. 52.
*Quamvis enim huiusmodi defectus naturales homini vide-
 antur absolutè considerando naturam ex parte ejus , quod
 est in ea inferius , tamen considerando divinam providen-
 tiam & dignitatem superioris partis humana nature, satis
 probabiliter probari potest , huiusmodi defectus esse pœna-
 les.* Potest enim aliquid deberi naturæ humanæ, prout
 subicitur divinæ providentiæ & gubernationi , quod
 illi non debetur tanquam proprietas , si spectetur præ-
 cisè secundum sua principia intrinseca. Ordo natura-
 lis exigit secundum S. Augustinum ejusque discipulum
 S. Thomam, ut appetitus sensitivus in homine regatur
 ab appetitu rationali sive ratione , quæ est Regina , ac
 proinde ad Deum spectaret etiam in statu naturæ pu-
 ræ, id est, separato à donis entitativè supernaturalibus
 non permittere rebellionem appetitus. Ad secun-
 dam minoris probationem Respondeo similiter cum
 distinctione ; sequitur per peccatum hominem fuisse
 vulneratum in naturalibus , ita ut ablata fuerit illi ali-
 qua perfectio orta & debita ex naturæ principis nego :
 ita ut fuerit ablata per peccatum justitia originalis &
 fuerit appositum impedimentum , scilicet concupis-
 centia,

centia, cujus motus sunt contra naturam concedo: quando autem SS. Patres negant, hominem fuisse vulneratum in naturalibus, intelligendi sunt de vulneratione per subtractionem alicujus principii naturalis. Certum enim est, per peccatum non fuisse corruptam intrinsicè naturam, aut potentias naturales in entitate sua.

Instabis: Si nullo præcedente peccato subjectio partis inferioris naturæ humanæ ex institutione sua sive secundum principia intrinsicè sit indebita, & prout subjicitur, divinæ gubernationi debetur, sequitur non posse condi hominem in statu puræ naturæ, id est, separatum ab omni peccato & beneficio indebito: hasque propositiones Michaëlis Baij à Sede Apostolica damnatas, esse veras: *Deus non potuit talem ab initio creare hominem, qualis modò nascitur: Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio.* Sequela probatur: quia ista subjectio, sine qua condi non potest, est beneficium indebitum naturæ spectatæ secundum principia intrinsicè, & homo creari non potest infectus concupiscentia, cum qua modò nascitur, & subjectio virium inferiorum, in quâ consistit integritas primæ creationis, non est indebita naturæ, prout subjicitur divinæ providentiæ motioni, exaltatio. Respondeo concedendo sequelam, si intelligatur per conditum hominem in statu puræ naturæ homo separatus ab omni beneficio sive dono tam entitativè naturali, quàm supernaturali: quod addo, quia probabile est, non esse necessarium, ut beneficium sit in substantia supernaturale, sed sub-

jectio

jectionem virium inferiorum ad rationem naturæ indebitam, posse esse donum entitativè naturale, sicut & subjectionem voluntatis ad Deum & legem naturalem; prout scilicet naturale opponitur supernaturali elevanti ad perfectionem excedentem naturæ proportionem, vel habentem connexionem cum gratia sanctificante &c.

Ad propositiones damnatas quod attinet, possunt hæc habere varios sensus, & in uno esse veræ, & in altero falsæ. Possunt enim imprimis facere hunc sensum, quod homo non potuerit creari sine integritate includente gratiam sanctificantem, & donum integritatis sive justitiæ, quale fuit in primo homine; vel quod subiectio virium inferiorum sit debita ex naturæ institutione & exigentia tanquam propria illius passio, vel quod non potuerit homo creari, qualis modò nascitur cum concupiscentia, ideo, quod hæc sit formaliter peccatum, in quo sensu jure sunt damnatæ. Deinde potest facere prima propositio hunc sensum, quod non potuerit homo ab initio creari, qualis modò nascitur, scilicet cum peccato, cum vitiosa concupiscentia inclinante ad peccatum, quæ est pœna peccati, & in hoc sensu vera est, cum talis homo ab initio creari non potuerit. Et altera hunc: Quod integritas primæ creationis accepta pro subiectione virium inferiorum non sit indebita, sed debita naturæ, prout subicitur divinæ providentiæ morioni, sive ut loquuntur alii, ex decentia Creatoris, & sic quoque vera est.

Huc quadrat illud Augustini lib. 3. cont. Julian. c.

II. 17

11. In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse non bellum. Et illud lib. 2. de peccat. merit, & remiss. c. 22. Quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitæ congruum sine ulla resistantia famulatum. Ubi nomine justitiæ non intelligitur rigorosum debitum fundamentum in intrinsicis naturæ principis, sed debitum providentiæ divinæ, sive naturæ, prout subjicitur gubernationi providentiæ. Quod adhuc diversimodè explicatur: Aliqui enim dicunt esse minus quidem consonum divinæ sapientiæ & bonitati, hominem cum tali defectu creare, sed non ita dissonum, ut per absolutam Dei potentiam sic creari non possit: Alii volunt ita esse debitum, ut non solum sit minus consonum, sed etiam dissonum, sive divinam sapientiam & bonitatem non decere taliter creare; ac proinde per potentiam absolutam fieri non posse, ut Deus creet hominem sine subjectione virum inferiorum ad rationem per donum saltem entitativè naturale, eò quòd providentiæ divinæ nihil, nisi quod decet, facere queat, ut ait Richardus à S. Victore lib. 1. de stat. inter hom. p. 1. c. 13. neque per hoc derogari divinæ omnipotentiae, & supremo in omnes creaturas dominio, quia, ut loquitur Augustinus lib. 9. de Gen. ad lit. c. 17. *Non potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est.*

Urgebis: Secundum S. Augustinum laudandus
 esse

esset Deus, etsi ab initio creasset hominem cum rebel-
 li concupiscentia; ergo secundum S. Augustinum
 nec humanæ naturæ secundum sua principia intrinseca
 spectatæ, nec prout subest providentiæ divinæ guber-
 nationi, deberetur ullum donum, etiam entitative natu-
 rale, per quod subordinetur inferior pars superiori
 ante peccatum &c. Antecedens probatur; quia S.
 Augustinus ait lib. 1. retract. c. 9. *Etiamsi ignorantia &
 difficultas (id est concupiscentia) essent hominis primor-
 dia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset
 Deus.* Respondeo negando consequentiam. Id e-
 nim ex citato textu non sequitur. Vel enim dicendum
 est, ideo S. Patrem dicere, Deum non esse culpandum,
 sed laudandum, quia supposito, quod Deus voluisset
 hominem condere, sine donis tam actualibus, quam
 habitualibus ordinis supernaturalis, debuisset saltem
 suæ providentiæ collationem donorum & auxiliorum
 ordinis naturalis; vigore quorum inferior pars ante
 peccatum subiecta fuisset superiori, & homines in il-
 lo statu non solum potuissent implere legem natura-
 lem, & assequi finem, ad quem creati fuissent, sed et-
 iam aliqui implevissent, & consecuti fuissent, ne frustra
 eos condidisset, si nullus ad finem pervenisset, sicque
 causa fuisset horum bonorum, ac proinde laudandus;
 non autem culpandus ob peccata, quæ ex inclinatione
 concupiscentiæ provenissent, eò quod non provenis-
 sent ex ea secundum quod fuisset ab ipso instituta, sed
 secundum quod ab illius institutione defecisset. Vel
 dicendum cum aliis, S. Augustinum loco citato agere
 contra Manichæos, qui docebant hominem non

D

posse

posse creari sine concupiscentia mala, & hanc à bono Deo esse non posse; ut inde concluderent, dari malam naturam productricem malorum; Augustinum autem disputationis gratia admissio, non posse hominem sine concupiscentia creari, arguisse, non culpandum, sed laudandum esse Deum, quia alioquin culpandus esset, quòd non faceret illud, quod fieri non potest, id est, quod non produceret hominem sine concupiscentia, qui, ut contendebant Manichæi, sine illa produci non poterat; sed hanc hypothesin postea in libris contra Pelagianos solidè impugnavisse, & probavisse efficaciter Deum absque prævio peccato non potuisse creare cum concupiscentia rebeli, quæcum nascitur, quæ est fomes peccati & maxima miseria & pœna juxta illud S. Augustini serm. 182. de temp. *Non aliunde tantum dolorem habet humana miseria, quam inde, quòd caro concupiscat adversus spiritum.*

Objicies decimo: Secundum S. Augustinum ante peccatum fuit in Adamo inordinatus amor mulieris: ergo potuit esse concupiscentia. Antecedens probatur: quia lib. II. de Gen. ad lit. c. 42. dicit, *quod Adam ex amore mulieris, ne eam contristaret, comederit de fructu vetito.* Respondeo negando antecedens, & ad probationem dico, illum inordinatum amorem fuisse posteriolem superbia. Sed de his infra redibit sermo.

Objicies undecimo. Concupiscentia, cum qua homo nascitur, est humanæ naturæ proprietas: ergo fuit de facto in primo homine ante peccatum. Probatur consequentia: quia natura illius habuit omnes proprietates naturæ humanæ. Antecedens etiam probatur: quia

quia concupiscentia illa non potest separari, ab appetitu sensitivo, qui naturalis est homini. Respondeo negando antecedens; contrarium enim docet S. Augustinus, ut patet ex dictis, magisque patebit ex dicendis: & fidelis ejus discipulus quintus Ecclesiae Doctor S. Thomas Aquinas, qui 12^a qu. 82. a. 3. ad 1. ait: *Quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem, qua transcendit limites rationis, inest homini contra naturam.* Et in 2. dist. 30. qu. 1. a. 1. in Corp. *Quod vis concupiscibilis in suum objectum tendat irrefranabile, hoc non est naturale sibi, in quantum est humana, sed contra naturam ejus, in quantum hujusmodi.* Et ad 4. tum. *Vis concupiscibilis hoc habet naturale, ut tendat in delectabile secundum sensum, sed secundum quod est vis concupiscibilis humana, habet, ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis.* Cujus ratio est, quia secundum eundem S. Doctorem ibidem a. 1. concupiscentia, cum qua nascimur, est quaedam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae, in qua consistebat ratio originalis justitiae: sicut etiam aegritudo corporalis est quaedam inordinata dispositio Corporis, secundum quam solvitur aequalitas, in qua consistit ratio sanitatis. Unde juxta utriusque Doctoris doctrinam concupiscentia est pronitas omnium potentiarum, in quibus potest esse peccatum, praeter & contra imperium rationis in malum, sive bonum commutabile, & ipsius animae in quantum est potentiarum radix. Sicut enim memorata harmonia omnes potentias affe-

cit, & perfecit, ita concupiscentia omnes pravis carnalibusque propensionibus inficit & corrumpit, ita ut inclinatio in bonum sensibile nullo freno contineatur, sed instar ponderis mentem aggraveret, & deorsum trahat ad bona delectabilia. Hinc ab aliis describitur. *Depravatio & corruptio totius naturæ rationalis omniumque virium ejus.* Tantum abest, ut hujusmodi concupiscentia possit dici humanæ naturæ proprietas. Unde secundum S. Augustinum & S. Thomam ordo naturalis exigit, ut appetitus rationalis dominetur sensitivo. *Si peccatis detractis*, inquit S. Pater lib. 3. de lib. arb. c. 9. *Miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio universi.*

Objicies duodecimo; Concupiscentia manet in renatis post Baptismum; ergo non est mala. Probatur consequentia; quia si esset mala Deus eam odisset in renatis; sed secundum Concilium Tridentinum in renatis nihil odit; ergo si manet in renatis non est mala. Respondeo negando consequentiam; ad cujus probationem distinguo majorem: si esset mala, Deus eam in renatis odisset odio inimicitæ, id est, odio alicujus, quod faciat renatos Deo exosos aut reos damnationis, quemadmodum peccatores odit, nego: odio displicentiæ concedo majorem. Et similiter distinguo minorem: sed Deus in renatis nihil odit odio inimicitæ concedo, odio displicentiæ, nego minorem & consequentiam. Pro cujus perfectiore intelligentia observandum est ex l. 7. c. 9. historiæ Concilii Tridentini, quam scripsit Cardinalis Pallavicinus, subministratis

ab Alexandro VII. actis dicti Concilii, quod inter Patres Tridentinos fuerit gravis disputatio de his verbis Concilii, quibus affirmabatur *in renatis nihil Deum odisse*. Noster enim Generalis Hieronymus Seripandus, qui fuit Cardinalis & Concilii Præses objecit (ut ibidem refert Pallavicinus) *cum concupiscentia sit origo peccati, non à Deo eam odio non haberi, adeoque universalem illam enuntiationem negantem, esse falsam, atque ad hoc persuadendum accuratum commentarium elaboravit, arguitque: Si Patres ponerent, nihil esse in renatis odiosum Deo, colligendum hinc esse, nihil in iis relinqui ope divina purgandum, nihil reprimendum, nihil, contra quod pugnandum: quæ omnia divinorum oraculorum dictis adversabantur --- patere ex multis Augustini locis, ipsam Deo displicere: eandem esse malum illud, à quo liberari exflagitant etiam sancti per precationem, quam nos omnes Christus edocuit, quamquam ab ea appetentia non nisi in perenni vita perfectè liberentur: Ex Augustino, concupiscentiam non esse natura proprietatem --- sed corruptionem, perductionemque natura. Proinde sibi videri eas voces removendas &c.* His aliisque rationibus usus est Seripandus, quæ tamen, inquit laudatus Cardinalis, Patribus nequaquam persuasere decreti mutationem, cum ex illius textura liquido constaret, ibi significari odium illud, quod inimicitie vocatur, & quo dicimus hominem ab homine odio haberi: quod odium Deo verè inesse nequit in eum, qui adoptivus Dei filius est renatus. Non tamen hinc excludi ab illis omnem prorsus labeculam, quæ minus pulchri coram illo reddantur, & quam aversetur in ipsis eo odio quod displicentia nominatur, quæ labecula aut levis-

res culpa sunt à Pole ac Bizantino observata, aut earum
fodina, quæ concupiscentia est: eaque propter utraque à
naturali Deo filio procul fuerunt etiam inter hujusæ vitæ
miserias. Atque in eadem pariter significatione post lon-
gam disceptationem perflitè in decreto posteriora verba,
quibus dicitur: Concupiscentiam haud nocere non consen-
tientibus, intelligendo per vocem nocere æternum dam-
num, cujusmodi est divinæ gratiæ jactura, & nomine con-
sensus plenum & deliberatum, tametsi cunctis alioquin
noceat aliquo pacto, ut quæ pulverem leviorum noxarum
inspergat &c.



DUBIUM DVODECIMVM.

*An primum hominis primi peccatum potue-
rit oriri ex errore aut ignorantia?*

NOta, varios posse considerari in intellectu creato
defectus: Potest enim in illo considerari primo
negatio cognitionis, aut attentionis, quæ, si cognitio-
nem habere non teneatur, dicitur nescientia; si verò
teneatur, dicitur ignorantia, vel inconsideratio privati-
va: Secundo potest considerari in illo positivus er-
ror, sive judicium falsum de aliqua re. Suppono au-
tem, nullum peccatum posse dari sine omni defectu
intellectus, cum enim voluntas sit potentia cæca, ex
natura sua determinata ad sequendum ductum intelle-
ctus.

Stus, cum enim voluntas sit potentia cæca, ex natura sua determinata ad sequendum ductum intellectus, non potest deficere, nisi deficiat intellectus, vel defectu ignorantiae, vel erroris positivi, vel inconsiderationis privatæ, aut saltem negativæ, sive nescientiæ. Quæstio hic est de errore & ignorantia. Quod enim in primorum hominum intellectu fuerit defectus inconsiderationis negativæ, sive puræ nescientiæ, certum est, cum multa nesciverint, quæ non tenebantur scire.

Respondeo & dico: Primum hominis peccatum non potuit oriri ex errore aut ignorantia seu defectu inconsiderationis privatæ. Probat ex Augstino qui l. 3. de lib. arbit. c. 18. ait: *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Et ibid. relinquitur ergo, ut hæc justa pœna, de damnatione hominis veniat, - - nam sunt revera omni peccanti anime duo illa pœnalia, ignorantia, & difficultas. & in ench. c. 17. probat, omnem errorem, sive profit, sive obsit erranti, spectare ad miseriam hujus vitæ, etiam illum, qui necessarius interdum est, ut vita non amittatur, qualem sibi accidisse asserit in quodam bivio, ut non iret per eum locum, ubi operiens transitum Donatistarum manus armata subsederat, ut transeuntem occiderent. Profecto, & ob hoc ipsum est vita ista misera, qua vivimus, quod ei non nunquam, ut non amittatur, error est necessarius. Absit, ut talis sit ista vita, ubi est anime nostræ ipsa veritas vita, ubi nemo fallit, fallitur nemo. Et l. 2. de pecc. merit. c. 17. Ignorantia, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.

Probatum secundò : Quia naturaliter ad errorem cognitum sequitur tristitia ; sed in homine primo, ante peccatum, non potuit esse tristitia ; ergo non potuit esse error.

Probatum minor ex Augustino supra cit. nempe 14. de civit. c. 10. ubi ait : *quod nihil fuerit in isto statu, quod contristaret.*

Probatum tertio in primo homine nulla fuit rebellio appetitus sensitivi, nulla perturbatio phantasiæ, quæ in nobis sunt causa erroris & ignorantia, sed omnia erant pacata, omnes vires inferiores subjectæ perfectè rationi, ut supra probatum est ex Augustino, ergo ante peccatum primus homo non potuit errare.

Objicies primò : Hæc doctrina videtur contraria sanctis Patribus, imò ipsi Augustino in aliis locis ; ergo primum etiam peccatum potuit procedere ex errore & ignorantia. Probatum antecedens, quia ab aliis SS. PP. primus homo ante peccatum dicitur fuisse *rudis, negligens, insipiens, simplex, non astutus contra diabolum, dolo capus, puerilis, infans, incapax perfectæ disciplinæ &c.* & signanter S. Bernard. serm. 26. de modo beniviv. dicit quod *per ignorantiam peccaverit.* & serm. 2. in Annuat. Domin. quod *non habuerit scientiam quia fuit seducta.* Et S. Augustinus l. de nat. & grat. c. 19. testatur quod *fuerit obliviosus, & non potuerit capere, quod debuit.* l. 3. de lib. arbit. 24. quod *nec sapiens fuerit, nec stultus ;* ergo. Respondeo negando antecedens, ad eius probationem dico, ex iis, quæ à sanctis Patribus de primo homine dicuntur, tantum posse colligi, quod obreperit ei inconsideratio, cum præceptum
viola-

violaret, talis, qualem S. Thomas 1. p. q. 63. a. 1. ad 4. etiam Angelis obrepfisse testatur, eo quod convertentur se ad proprium bonum absque ordine ad regulam divinæ bonitatis. tenebatur enim Angelus, & primus homo seipsum cognoscere & considerare, qualis factus esset, & qualiter incedere deberet, cum ad hoc esset instructus sufficientissima potestate, sed *positus in honore*, inquit S. Bernardus serm. 34. sup. cant. *non intellexit, quod limus esset, honoris fastigio delectatus; & continuo in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filijs captivitatis prudenter advertit, & veraciter protulit: qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* quare autem, & quomodo Eva dicatur seducta & Adam non, dicetur dissert. sequente. Ad illud quod ultimo ex Augustino opponitur.

Respondeo S. Patrem tantum voluisse ostendere, non bene concludi ex hoc, quod homo primus non fuerit creatus stultus, eum fuisse creatum sapienter, ut ipse fatetur l. 1. retract. c. 14. ubi ait: *intuebar parvulos, quos licet confiteamur trahere originale peccatum, tamen nec sapientes, nec stultos possumus propriè dicere, nondum utentes libero arbitrio seu benè seu malè.*

Instabis: Si per dicta prædicata importetur inconsideratio peccaminosa; ergo primum peccatum ortum est ex ignorantia; ergo ignorantia non est pœna primi peccati. Ultima consequentia patet, quia quod præcessit peccatum, non potuit esse pœna peccati. prima consequentia etiam probatur, quia ignorantia est carentia cognitionis sive attentionis debitæ, sed inconsideratio illa fuit carentia considerationis seu attentio-

nis debitæ; ergo fuit ignorantia, ergo primum peccatum, quod ex ea ortum fuit, ex ignorantia ortum fuit. Respondeo negando consequentiam ad cuius probationem dico, inconsiderationem posse considerari duobus modis. Primo negativè, in quantum dicit tantum nudam negationem considerationis; & sic accepta non habet rationem mali respectu naturæ rationalis, cum illa non exigat semper esse in actuali & perfecta rerum cognitione. Secundo potest considerari, ut est voluntaria; sic autem accepta non est pura negatio, sed privatio scilicet considerationis debitæ & habet rationem mali: at sic non est simpliciter prior primo peccato, cum supponat actum malum voluntatis à quo voluntaria denominatur.

Urgebis; actus voluntatis à quo desumitur illa denominatio voluntarii, est posterior iudicio inconsiderationis, ergo non supponitur ab illo, alioquin esset prior & posterior iudicio, ergo illud iudicium est simpliciter prius actu voluntatis, sed illud iudicium inconsiderationis involuit ignorantiam sive privationem attentionis debitæ; ergo ignorantia præcedit primum peccatum. Antecedens probatur; quia actus malus voluntatis ab illo iudicio dirigitur; ergo est posterior illo. Respondeo distinguendo antecedens: actus voluntatis est posterior iudicio, in genere causæ efficientis, nego: est posterior in genere causæ formalis extrinsecæ, & directivæ, concedo antecedens; & eodem modo distinguo consequens: ergo non supponitur ab illo in genere causæ efficientis, nego: in genere causæ formalis concedo, consequentiam, ad cuius probationem

nem

nem distinguo similiter assumptum : esset prior & posterior in eodem genere nego : in diverso , concedo. Potest enim illud iudicium considerari ut est repræsentatio talis objecti , & ut est voluntarium & culpabile, primo modo spectatum præcedit volitionem malam in genere causæ formalis extrinsecæ, & in nullo genere est posterius ; secundo modo consideratum sequitur volitionem malam in genere causæ efficientis , & in nullo genere præcedit.

Alii respondent ad supra positam objectionem , & sequentes instantias iudicium inconsiderationis inclusisse ignorantiam , sed non præcessisse peccatum primi hominis. Dicunt enim , quod fuerit aliquid peccati, siue quod in plena illius ratione fuerit inclusum, sicque salvetur doctrina Augustini docentis , quod ignorantia , quæ est miseria , non præcesserit primum peccatum.

Objicies secundò Gen. 3. & I. Timoth. 2. dicitur *Eva fuisse seducta* : ergo error præcessit primum peccatum Respondeo negando consequentiam, istam enim seductionem præcessit peccatum superbiæ, secundum Augustinum , qui l. II. de Gen. ad lit. c. 30. de muliere dicit : *verbum serpentis non crederet , nisi jam inesset menti ejus amor propriæ potestatis , & quadam de se superba præsumptio*. Ex quo patet etiam responsio ad illud, quod ex l. de cant. novo c. 8. solet objici, nempe ; *Deum contempsit, Diabolo credidit, & quod accepit, perdidit &c.*

Objicies tertio : Primi parentes non sciebant in illo statu futura contingentia , & secreta cordium ; ergo
ante

ante lapsum potuerunt errare; ergo primum peccatum potuit oriri ex errore. Respondeo negando consequentiam utramque. suspendebant enim de ejusmodi futuris, & secretis judicium, ante peccatum primum.

Objicies quartò: Eva cùm serpentem sibi loquentem audiret, judicabat bruta posse naturaliter loqui: ergo erravit; patet consequentia, quia illud judicium erat erroneum. Antecedens probatur, quia, si scivisset bruta naturaliter non posse loqui, fuisset mirata.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico, non fuisse miratam, quia judicabat per serpentem sibi loqui spiritum, quem malum esse suspicari ei non erat difficile, si non nimis illius promissioni fuisset intenta.

Instabis: Mulier tenebatur scire fallaciam serpentis, sive per serpentem loquentis, quam ignoravit: ergò ignorantia præcessit peccatum. Respondeo negando antecedens. Sufficiebat enim illam esse munitam sufficienti prudentia ad cavendam fallaciam.

Objicies quintò: Primus homo putavit aliqua eventura, quæ non evenerunt; ergo erravit; patet consequentia: Antecedens probatur: quia primus homo speravit se perseveraturum in bono, nunquam moriturum &c. ergò putavit aliqua eventura, quæ non evenerunt, cùm de facto non perseveraverit & mortuus fuerit, & spes determinet intellectum ad judicandum rem speratam esse futuram.

Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem nego consequentiam, & ad probationem dico suffi-

sufficere ad sperandum, ut bonum aliquod arduum & possibile proponatur intellectui, & à voluntate desideretur.

Objicies sextò : Si filii in illo statu fuissent nati, ignorassent ea, quæ fuissent agenda; ergo ignorantia non repugnabat isti statui. Probatur antecedens: quia nati in illo statu debuissent instrui de rebus agendis.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem dico, ignorantiam rerum agendarum nunquam in illis futuram fuisse ante instructionem; nati enim cum scientia congruente ætate puerili, fuissent informati à parentibus de agendis in ætate secuturâ.

Objicies septimò : Homo in statu innocentie dormivisset : ergo per phantasmata fuisset deceptus.

Respondeo permisso antecedente, negando consequentiam, quia rebus per phantasmata repræsentatis non adhæssisset intellectu, & voluntate. Deceptio autem propriè non datur in phantasiâ aut aliis sensibus, qui nequeunt approbare falsa pro veris, licet occasione repræsentationum, quæ per sensus fiunt, frequenter in intellectu nostro oriatur error.

* * *



DUBIUM XIII.

Quid S. Augustinus senserit de naturâ, locutione, & calliditate serpentis, qui primum hominem tentavit?

Fuit olim error Ophitarum, serpentem, qui cum Eva locutus fuit, Christum fuisse: quem errorem tanquam stultissimum S. Augustinus damnavit lib. de hæres. in 17, & 46. Alii volunt, serpentem non fuisse aliquod corpus materiale & sensibile, sed omnia per metaphoram esse intelligenda. Cajetanus docuit, per serpentem significari ipsum dæmonem sine corpore assumpto, locutumque fuisse per solam internam suggestionem. Alii docuerunt serpentem fuisse verum animal, & virtute propriâ fuisse locutum, vel ad tempus à Deo data loquendi facultate.

Respondeo & dico primò: Augustinus sensit, verum & naturalem fuisse serpentem, qui primos homines tentavit. Colligitur primò ex lib. II. de Genes. ad lit. c. 2. ubi ait: *Quòd diabolus suo instinctu impleverit serpentem, & tribuit illi irrationalem animam, dicens: Quanquam iste serpens non irrationali anima sua, sed alieno jam spiritu, id est, diabolico, possit sapientissimus dici omnium bestiarum.* Et cap. 3. vocat eum animal, &

& distinguit à diabolo, dicens: Nec sanè debemus opinari, quòd serpentem sibi, per quem tentaret, persuaderet-que peccatum, diabolus elegerit, &c. non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Et lib. 14. de Civ. c. 11. dicit, quòd Diabolus colubrum in Paradiso corporali, --- ubi animalia etiam terrestria cetera subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum & tortuosus anfractibus mobile operi suo congruum, per quem loqueretur, elegerit.

Dico secundò: Secundùm S. Augustinum Diabolus fuit locutus per serpentem, sicut Angelus per asinam Balaam. Patet ex cit. lib. de Gen. c. 29. ubi ait: Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini, nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum &c. Modum autem loquendi indicat capite præcedenti, ubi ait: In serpente ipse locutus est utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo, quo ille movere, & moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per qua mulier suadentis intelligeret voluntatem.

Dico tertio: Serpens fuit callidior cunctis animalibus, non tantùm propter propriam calliditatem, sed etiam alienam diaboli in illo loquentis. Ita Augustinus lib. cit. cap. secundo his verbis: Serpens autem erat àbi prudentissimus quidem, sed omnium bestiarum, quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus. Translato enim verbo dictum est prudentissimus, vel, sicut plures Latini codices habent, sapientissimus, non proprio; quo in bonum accipi solet, sapientia Dei vel Angelorum, vel anima rationalis: tanquam si sapientes apes etiam, formicæ-
que

que dicamus, propter opera velut imitantia sapientiam. Quamquam iste serpens non irrationali animâ suâ, sed alieno jam spiritu, id est diabolico posset sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim pravaricatores Angeli supernis sedibus sua perversitatis & superbia merito dejecti sint, natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum, si suo instinctu Diabolus jam implens serpentem, eique spiritum suum miscens eo more, quo vates demonium implere solet, sapientissimum reddiderit omnium bestiarum secundum animam vivam, irrationalemque viventium? S. Bernardus serm. 2. in Annunt. Domin. dicit, quod scientia serpenti non defuerit, qui callidior describitur ceteris animantibus, sed pietatem malignus non habuerit, qui ab initio factus est homicida.

Quæres: Quis fuerit sensus interrogationis factæ à serpente V. G. hujus: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?

Respondeo Augustinum loc. cit. cap. 30. approbare hanc interpretationem: Quare præcepit vobis Deus, ut de nullo ligno paradisi comederetis? hinc mulier interrogationem diaboli supponentis mendacium quasi correxit respondendo: De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur. Ideo prius, inquit S. Augustinus, interrogavit serpens, & respondit hæc mulier, ut pravaricatio esset inexcusabilis: neque ullo modo dici posset, id, quod præceperat Deus, oblitam esse mulierem.

Objicies contra dicta primò: In S. Scriptura diabolus sine corpore assumpto vocatur serpens, ut Apoc. 12. & II. 27. ergò per serpentem non significatur animal.

Respon-

Respondeo negando consequentiam. Licet enim in uno loco Scripturæ vox aliqua sumatur metaphoricè, ex hoc non bene colligitur in aliis etiam sic sumi. Ipsa autem verba: *Serpens dixit ad mulierem, & mulier respondit*, satis innuunt, fuisse colloquium sensibile, ac proinde per corpus assumptum. Respondit enim mulier ad verba, quæ audiebat proferri à viso serpente, qui dicitur cæteris animantibus callidior.

Objicies secundo: Dicitur de illo serpente, qui locutus fuit Evæ, quod fuerit callidior cunctis animantibus terræ; sed hoc non potest verificari, nisi de dæmone; ergo per serpentem significatur solus dæmon.

Respondeo conformiter ad conclusionem tertiam, si fiat comparatio per metaphoram, convenire dæmoni, qui loquebatur per visibilem serpentem; non solum respectu bestiarum, sed etiam hominum, omnibus enim est callidior. Sed hoc non obstante, si fiat comparatio cum brutis, propriè dicitur serpens visibilis callidior cunctis propria calliditate; est namque animal illud ex natura sua valde astutum, ut notarunt Authores, qui de animalium natura scripserunt; & idè Christus Matth. 10. ait: *Estote prudentes sicut serpentes.*

Objicies tertio, Moyses dicit serpentem fuisse locutum, & non facit mentionem miraculi facti: ergo non fuit illi sermo de locutione exteriori, sed de interna instigatione. Probarur consequentia, quia verus serpens non potuit loqui, nisi miraculosè: suggestio autem interior potuit à dæmone fieri naturaliter. Respondeo negando consequentiam & probationem e-

jus. Non enim fuit necessarium, cum potuerit dæmon virtute naturali movere serpentem ad exprimendos illos sonos, ut dictum fuit in probatione conclusionis secundæ ex S. P. Augustino. Ad suggestionem internam præter aut contra rectam rationem quod attingit, non potuit secundum S. Augustinum & S. Thomam 22dæ qu. 165. a. 2. dæmon in illo statu, ante peccatum, immediatè per suggestionem merè internam, id est per motionem phantasie & appetitus sensitivi præter aut contra rationem, tentare Evam. Hoc enim erat contra rectitudinem originalis instituti, & contra decentiam suavis Dei providentiæ, juxta quam, quamdiu ratio erat subiecta Deo, inferior pars non poterat inordinatè contra illam moveri, ac proinde nec Eva merè internè tentari, eò quòd interna suggestio seu tentatio non fiat, nisi per internam mutationem portionis inferioris inordinatam, id est, phantasie & appetitus sensitivi, quod fieri tali modo non decebat. Hinc etiam Christus tali modo tentari non potuit, licet tentatus fuerit externè.

Objicies quartò: Potuit dæmon tentare Evam per simulacrum serpentis, sicut tentavit Christum per corpus hominis assumptum: ergo serpens, per quem locutus dicitur, non fuit verum animal. Respondeo negando consequentiam, & dico cum S. Augustino loc. supracitato: *Non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.* Cur autem non fuerit permissus aliter tentare, Deus novit.

Quæres: Quare Deus permiserit primos homines tentari? Respondeo cum S. Augustino lib. 11. de Gen. ad

ad litt. c. 6. Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permiserit Deus, quasi nunc non videant universum genus humanum diaboli insidijs sine cessatione tentari, cur & hoc permittit Deus? an quia probatur & exercetur virtus, & est palma gloriosior, non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari: cum etiam ipsi, qui deserto Creatore eunt post tentatorem, magis magisque tentent eos, qui in verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem devitationis exemplum, & incutiant contra superbiam timorem pium. Unde dicit apostolus: Intendens teipsum, ne & tu tenteris. Mirum est enim quantum ista humilitas, qua subdimur Creatori, ne tanquam ejus adjutorio non egentes, de nostris viribus præsumamus, per scripturas omnes divinas cura continua omnibus commendatur. Cum ergo etiam per injustos justis, ac per impios pii proficiunt, frustra dicitur: non crearet Deus, quos præsciebat malos futuros; cur enim non crearet, quos præsciebat bonis profuturos, ut & utiles eorum bonis voluntatibus exercendis, admonendisque nascantur, & justè pro sua mala voluntate puniantur?

* * *

E 3

DUB. XIV.



DUBIUM XIV.

Qualiter secundum S. Augustinum fuissent propagati homines in statu innocentiae, si primi homines non peccassent?

Suppono, Etsi primi homines non peccassent, tamen futuram hominum multiplicationem, cum in natura humana, ut S. Thomas docet i. p. qu. 98. a. 1. propter perfectionem animae rationalis & immortalis, &c. non tantum species, sed etiam singula individua sint per se intenta ab auctore naturae. Et Gen. 1. hæc benedictio, *Crescite & multiplicamini*, non sit data homini occasione peccati, sed propter bonum talis naturæ. Hoc supposito

Fuerunt aliqui Patrum antiquiorum istius opinionis, quod in statu innocentiae genus humanum propagandum non fuisset per naturalem generationem, sed per creationem, & S. Pater videtur ita quoque sensisse lib. de Gen. contra Manichæos cap. 19. ubi explicans verba illa: *Crescite & multiplicamini*, dicit: *Licet nobis ea spiritualiter accipere, ut in carnalem fecunditatem post peccatum conversa esse videatur, id est, ut usus conjugii per peccatum fuerit introductus.* Et lib. de vera Relig. c. 46. dicit: *Non futuras necessitudines*

lines has consanguinitatum, affinitatum, & cognationum, si primi homines perseverassent in statu integritatis. Sed

Respondeo & dico. Secundum S. Augustinum, in illo statu integritatis, genus humanum fuisset propagatum per viam generationis, sive per sexuum commixtionem. Probatum primo ex lib. 14. de Civ. c. 23. ubi ait: *Quisquis autem dicit, non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem Sanctorum, necessarium hominis fuisse peccatum? Si enim non peccando soli remanerent, quia sicut putant, nisi peccassent, generare non possent; profecto, ut non soli duo iusti homines possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit: quod si credere absurdum est, illud potius est credendum, quod Sanctorum numerus, quantum complenda illi sufficit beatissima civitati, tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantum nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quousque filij huius seculi generant & generantur. Et c. 24. Seminares igitur prolem vir, susciperet foemina genitalibus membris, quando id opus esset, & quantum opus esset. Probatum secundo ex lib. 9. de Gen. ad litt. c. 3. ubi dicit: *Non video, quid prohibere potuerit, ut essent hominibus etiam in paradiso honorabiles nuptiae, & torus immaculatus. Probatum tertio ex lib. 2. de pecc. orig. c. 35. Essent, inquit, autem procul dubio nuptiae, etiam non precedente peccato, quia neque aliam ob causam viro adiutorium, non alius vir, sed foemina facta est. Et illa Dei verba, Crescite & multiplicamini, non est damnandorum praedictio peccatorum, sed foecundarum benedictio nuptiarum.**

Probatur quartò ex lib. 4. cont. Jul. c. 4. Neque enim, etiamsi natura humana primorum hominum peccato vitata non esset, possent filij, nisi de corporum commixtione generari. Non est igitur dubitandum, quòd S. Augustinus senserit taliter futuram fuisse, si homines permansissent in statu integritatis, propagationem. Hinc ea, quæ dixit locis pro contraria opinione citatis, retractavit lib. 1. Retract. c. 10, & 13.

Ratio est, quia naturale est hominibus, ut sic multiplicentur, & nihil obstitisset tali multiplicationi: ergo sic fuissent in illo statu multiplicati.

Objicies: Genus humanum non potest propagari sine inquieto, pudendo & turbido æstu seu ardore libidinis contra rationem, sine dolore & cruore virginis concumbentis, sed talia repugnant statui integritatis, in quo pars superior fuisset omnino subjecta Deo, & pars inferior rationi: ergo non fuisset sic propagatum genus humanum. Respondeo negando majorem: contrarium enim docet S. Augustinus locis pro conclusione citatis. Post verba cit. ex c. 23. de Civit. dicit: *ideo illa nuptia digna felicitate Paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent.* Et subjicit ibidem: quòd in isto statu, si homo non peccasset, potuisset ad nutum genitalia membra movere, sicut modo ad nutum illius movet alia membra corporis V. G. manus & pedes. An verò, inquit, manus & pedes movemus, cum volumus ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine ullo renisu, tanta facilitate, quanta & in nobis & in alijs videmus, maxime in artificibus quorumcunque operum cor-

poralium: ubi ad exercendam infirmiore[m] tardiore[m]q[ue] naturam agilior accessit industria: & non credimus ad opus generationis filiarum, si libido non fuisset, quæ peccato inobedientia retributa est, obedienter hominibus ad voluntatis nutum similiter, ut cætera potuisse illa membra servare? Et infra ibidem: Ita genitale ar[er]um vas in hoc opus creatum seminaret, ut nunc terram manus, & quod modo de hac re nobis volentibus diligentius disputare verecundia resistit, & compellit veniam honore præfato à pudicis auribus p[ro]scere, cùm id fieret nulla causa esset: sed in omnia quæ de huiusmodi membris sensum cogitantis attingerent, sine ullo timore obscenitatis liber sermo ferretur, nec ipsa verba essent, quæ vocarentur obscæna, sed quidquid inde diceretur, tam honestum esset, quam de aliis cùm loquimur corporis partibus. Similia habes c. sequenti, ubi post enarrationem, qualiter non solùm membra corporis, quæ compactis articulata sunt ossibus, sed etiam, quæ mollibus remissa sunt nervis, qualia sunt in ore & facie, pulmones &c. homo ad nutum voluntatis possit movere, flectere, constringere, &c. subjicit: Sic ergo & ipse homo potuit obedientiam etiam inferiorum habere membrorum, quam sua inobedientia perdidit. Neque enim Deo difficile fuit, sic illum condere, ut in eius carne etiam illud non nisi eius voluntate moveretur, quod nunc nisi libidine non moveretur: Et c. 26. Absit, ut suspicemur, non potuisse prolem ferri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cætera. Et cit. cap. 3. de Gen. Hoc Deo præstante fideliter justèque viventibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore doloreque parienti foetus ex eo-

rum semine gigneretur. Et cit. loco ex lib. de pecc. orig. Si autem peccato non fuisset dehonestata natura, absit, ut opinemur, tales futuras fuisse nuptias in paradiso, ut in eis ad prolem seminandam non natura voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum, sed astu libidinis membra genitalia moverentur.

Dices : Enervis & mollis est opinio, qua creditur in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse servire. Respondeo negando assumptum. Est illa instantia Juliani, cui lib. 5. contra eund. c. 7. respondet S. Pater: *Tanto tibi tanquam viro casto, effœminator videtur esse animus, quanto plus habet potestatis in corpus.*

Objicies secundò. Non potest propagari genus humanum per viam generationis sine ruptione & corruptione integritatis virginalis, sed in statu innocentiae nulla fuisset corruptio virginalis claustris: ergo non fuisset sic propagatum genus humanum. Major videtur certa, quia sine tali ruptura non poterit fieri commixtio seminum necessaria ad naturalem generationem. Minor etiam probatur: quia ille defectus repugnet perfectioni corporis fœminæ & talis status. Respondeo negando majorem; quia minor est doctrina S. Augustini variis in locis, nam cit. lib. 14. & c. 26. de Civ. *Sine ardoris, inquit, illecebrosi stimulo cum tranquillitate animi & corporis nulla corruptione integritatis insunderetur gremio maritus uxoris. Neque enim, quia experientia probari non potest, idè credendum non est, quando illas corporis partes non ageret turpidus calor,*
sed

sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet; ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate foeminei genitalis virile semen immitti: sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti: eadem quippe via posset illud injici, quâ hoc potest ejici, ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus foeminea viscera relaxaret; sic ad foetandum & concipiendum, non libidinis appetitus, sed voluntatis usus naturam utramque conjungeret. Et citato lib. & Cap. de pecc. orig. ait: Nec sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos foetus vi turbidi vitaretur ardoris - - - & eo modo non esset dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parturientis, hac ideo non credimus, quia in ista mortalitatis conditione in experta sunt. In deterius quippe natura mutata non invenit prima illius puritatis exemplum. Sed fidelibus loquimur, qui noverunt credere divinis eloquiis, etiam nullis adhibitis ex parte veritatis exemplis. Quod modo enim nunc ostendam sine ullis parentibus de pulvere hominem factum, eique de suo latere conjugem? & tamen quod oculus non invenit, fides credit. S. Augustinum sequitur S. Thomas 1. p. qu. 98. a. 2, ad 4.

Aliqui, qui sentiunt, non posse fieri commixtionem illam & penetrationem & praesertim partum prolis sine claustrae reperatione per divisionem sive separationem aut dissolutionem partium corporis Virginis, putant S. Augustinum tantum velle signaculum Virginitatis non corrumpendum fuisse in illo statu, sicut corrumpitur modo, videlicet per poenalem passionem &

foedam delectationem. Sed alii existimant, neque in conceptione, neque in partu fuisse necessariam huiusmodi divisionem aut separationem, sed id potuisse fieri per solam partium & pororum materni corporis delationem, Deo ita suaviter disponente.

Instabis. Si in isto statu fuisset conceptio prolis, salva integritate signaculi virginalis, ergo vera Virginitas fuisset cum matrimonio consummato. Respondeo negando consequentiam, plura enim requiruntur ad Virginitatem formalem, quam signaculum integritatis, videlicet Integritas carnis & mentis secundum S. Thomam in 2. dist. 20. quæst. 1. a. 2. ad 1. immunitas à voluntaria resolutione seminis cum delectatione venerea, & integritas mentis, sive propositum abstinendi ab omni tali delectatione & commixtione: In isto autem statu, licet resolutio seminis, secundum Augustinum, & commixtio fuisset sine turbido isto motu & ardore, cum quo modo fit, non afferit tamen futuram fuisse istam sine omni delectatione moderata juxta rationis mensuram, & fuisset iste actus Conjugalis voluntarius, ac proinde non fuisset propositum abstinendi ad formalem Virginitatem sive integritatem mentis requisitum.

Dices voluntas illa coeundi fuisset licita; ergo non repugnasset Virgineæ integritati, quoad mentem. Respondeo negando consequentiam; quia non sufficit actum esse honestum ad conservationem Virginitatis, ut patet in conjugatis huius status, quorum voluntas coeundi etiam est honesta.

Ob-

Objicies tertio: Semen in homine est quid superfluum; ergo non fuisset in statu innocentiae; ac proinde nulla generatio. Probatur consequentia, quia superfluitates illæ corporis humani habent adjunctam impuritatem & foeditatem, ut patet in excrementis & urina. Respondeo distinguendo antecedens: Est superfluum individuum, concedo; speciei, nego antecedens & consequentiam, & ad probationem dico, superfluitates, quæ provenissent ex nutrimenti impuritate, non futuras fuisse cum tanto foetore & foeditate cum quanto ejiciuntur in hoc statu.



D V B I U M X V.

An, Adamo non peccante, posteri ejus fuissent confirmati in Justitia ab initio, secundum S. Augustinum?

Suppono, Adamo non peccante, natos fuisse omnes in Justitia originali. Hoc enim docet S. Augustinus, ut patebit ex probatione prima conclusionis. Et S. Thomas I, p. qu. 109 a. 1. Neque ex hoc sequitur, Justitiam fuisse naturalem, cum non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed à Deo post animæ ipsius cum corpore unionem infusa.

Du-

Duplex est sententia de confirmatione posterorum in iustitia. Prima affirmat, cui favere videntur aliqui ex Patribus, signanter S. Anselmus lib. I. Cur Deus homo c. 13, & Gregorius lib. 4. moral. c. 36. Secunda negat, cui favent alii SS. Patres, quæritur, cui faveat Augustinus.

Respondeo & dico. S. Doctorem adhæsisse negativæ. Probat: quia secundum sanctum Augustinum, Adamo non peccante, posteri ejus peccare potuissent; ergo non fuissent ab initio confirmati in gratia. Consequentia patet, Antecedens probatur: quia lib. 14. de Civ. c. 10. ait: *Quam igitur felices erant primi homines - - tam felix univèrsa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trañcerent, nec quisquam ex eorum stirpe committeret, quæ damnationem reciperet. Atque ista permanente felicitate, donec per illam benedictionem, quæ dictum est, Crescite & multiplicamini, predestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia major daretur, quæ beatissimis Angelis data est: ubi jam esset certa securitas peccaturum neminem, moriturumque neminem &c. Dicit S. Pater, si nec illi iniquitatem committerent & felicitatem beatorum tantum esse, ita securam ut nemo sit peccaturus: ergo sensit, sicut potuerunt peccare primi homines, ita posteros potuisse peccare, etsi illi non peccassent.*

Confirmatur. Quia lib. 9. de Gen. ad litt. c. 3. dicit, quod si primi homines, eorumque posteri justè & obedienter vixissent, fuissent, certo numero completo, sine ulla morte translati ad gloriam; ac proinde satis infinuat, quod

quod injustè inobedienterque potuissent vivere, ideoque non fuissent confirmati in gratia. Non video, inquit, quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus: hoc Deo præstante fideliter justèque viventibus, eique obedienter sanctèque servantibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi foetus ex eorum semine gignerentur; non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illi, qui generassent, in aliquo forma statu manentibus --- & illi, qui gignerentur ad eundem, perducerentur statum, donec certo numero completo, si justè omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio (id est translatio) ut sine ullâ morte animalia corpora conversa in aliquam qualitatem --- spiritalia vocarentur &c. Similia habet S. Pater lib. I, retract. c. 13, dicens: Non enim ullas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis & imagine Dei manens, in istam conceptionem non relegaretur. Hunc sensum prorsus improbo &c. Ad hoc enim ducit, ut credantur illi Conjuges præmi non generaturi posteros homines, nisi peccassent, tanquam necesse fuerit, ut morituri gignerentur, si de concubitu maris & fœmine gignerentur. Nondum enim videram fieri potuisse, ut non morituri de nō morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura; ac per hoc, si & in parentibus & in filiis fœcunditas fœlicitasque mansisset usque ad certum sanctorum numerum, quem prædestinavit Deus, pascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum vivētib; regnaturi. Ibi iterū indicat

per

per rō si fieri potuisse, ut in filiis fœcunditati non conjungeretur fœlicitas, id est, iusta & obediens vita.

Consonat manifestè S. Thomas 1. p. qu. 100. a. 2. datque rationem hanc : *Ex hoc Creatura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem : cui viso non potest non inherere, cum ipse sit ipsa essentia bonitatis, à qua nullus potest averti.* --- Et hoc dico secundum legem communem, quia ex aliquo privilegio speciali secus accidere potest, sicut creditur de Virgine Marre Dei : Et infra concludit : *Vnde manifestum est, quod parvuli non nascerentur in iustitia confirmati.* Et in 2. dist. 20. qu. 2. a. 3. ad 5. ait : *Tametsi concederetur, quod Adam confirmatus fuisset statim, post victoriam tentationis, adhuc non sequitur, quod illico confirmatos in iustitia genuisset, quia hoc sequebatur adtus personales ejus &c.*


Dices. S. Thomas ait, *ex speciali privilegio secus accidere posse* : licet ergo geniti ex Adam ex natura sua non essent impeccabiles, potuit hoc illis convenire per speciale privilegium, sive potuit Deus, per gratiam impedire omne peccatum. Respondeo concedendo totum, potuit Deus, sed non constat, quod promiserit, id se facturum, & ex lapsu primorum parentum satis constat, donum impeccabilitatis non deberi statui integritatis.

Instabis : Si non omnes geniti ex Adamo iusto fuissent in iustitia perseveraturi, multa fuissent orta inconvenientia, illi enim, qui peccassent, debuissent ejici ex Paradiso, sicque uxor interdum separari à prolibus

& marito, aut contra, & separati vel nubere aliis, vel sic permanere ; item vel statim mori ob transgressionem & damnum, vel per pœnitentiam redire ad gratiam & justitiam originalem &c. Respondeo, hæc omnia posse diciscutura, si Eva peccante Adam non peccasset, & dico Deo facilè fuisse providere modum gubernandi homines in tali statu, & occurrendi iis, quæ nobis videntur difficilia.

FINIS DISSERTATIONIS
PRIMÆ.





I

D

...

I

Q

M

ta:

pec

lum

nat

DISSERTATIO SECUNDA,

De Primorum Homi-
num peccatis, & peccato originali, e-
jusque in posteros transfusione.



DUBIUM PRIMUM.

*Quæ fuerint, secundum S. Augustinum &c.
primi hominis peccata, quibus natura
fuit corrupta?*

NOTA ex S. Augustino in Enchirid. c. 45. In
illo peccato uno, quod per unum hominem
intravit in mundum, & in omnes homines
pertransit, &c. posse intelligi plura pecca-
ta: sive, ut ait S. Thomas 22æ qu. 63. a. 1. Ad unum
peccatum multos motus concurrere posse, & inter hos il-
lum habere rationem primi peccati, in quo primo inordi-
natio reperitur; hanc autem primam inveniri in motu
ante-

interiori anime, quam in actu exteriori corporis, juxta illud Augustini lib. I. de Civ. Dei, c. 18. Non amittitur corporis sanctitas, manente anime sanctitate.

Respondeo, & dico primò: Peccatum primum hominis primi fuit, secundum S. Augustinum, superbia.

Probatum primò ex Ench. cap. in notabili citato: ubi enumerans S. Pater peccata primi hominis, primò loco recenset superbiam, dicens: *Nam & superbia est illi, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit.*

Probatum secundò ex l. II. de Gen. ad lit. c. 30. ubi ait: *Quando verbis serpentis mulier non crederet, à bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propria potestatis.* Et ibid. c. 34. *Quid mirum, si superbi volentes esse, sicut dii, evanuerunt in cogitationibus suis?* Et ibid. c. 4. *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi praecepsisset in anima hominis quadam elatio comprimenda, ut per humilitatem peccati, quam de se falso praecepserit, disceret.*

Probatum tertio ex l. 14. de Civ. c. 13. *In occulto autem mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur, non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecepsisset mala voluntas: porro mala voluntatis initium, quod potuit esse, nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia.*

Probatum quartò ex lib. I. de doct. christ. c. 14. ubi S. Pater ait: *Quia per superbiam homo lapsus est, Christus humilitatem adhibuit ad sanandum.*

Pro-

Dubium Primum.

3

Probatur quintò ex Tract. 25. in Joan. Quia voluit suo consilio vivere Adam, lapsus est per eum, qui ante ceciderat per superbiam, qui ei calicem ipsius superbiæ propinavit. Idem docet l. 2. de pecc. merit. c. 19. Conc. 2.º super Ps. 118.

Observandum autem, Augustinum non velle, quod Evæ superbia præcesserit suasionem serpentis, ut notat S. Thomas 22^x qu. 163. a. 1. ad 4. sed quod statim post suasionem, id est, post verba: nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, invaserit mentem illius, & ex ea secuta fuerint alia peccata. Illam autem superbiam vocat Augustinus cit. lib. 14. de Civ. c. 13. Perversa celsitudinis appetitum dicens: Quid est autem superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus? perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhaerere, principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet; sibi verò ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. S. Thomas explicat superbiam, 22^x qu. 163. a. 1. & 2. per appetitum cuiusdam spiritualis boni supra suam mensuram, id est. similitudinis Dei non omnimoda æquiparantia, cum talis non cadat in apprehensione sapientis, sed principaliter, quantum ad scientiam boni & mali, juxta suggestionem serpentis, ut scilicet per virtutem propriae naturæ determinaret sibi, quod esset bonum & malum, ad agendum, vel etiam, ut per seipsam præcognosceret, quid sibi boni vel mali esset futuram, & secundo, quantum ad propriam potestatem operandi, ut videlicet virtute propria naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam &c. Utriusque igitur S. Doctoris sententia est, quod

primus homo inordinatè appetiverit propriam excellentiam, quæ est proprium superbiæ objectum, & finis hominis in malis, & consequenter prius appetitur per actum interiorem, quam media.

Idem sentit S. Bernardus variis locis: *Adam in paradiso positus primo perdidit circumspeditionem Dei. Testatur enim beatus Augustinus, quod nequaquam tentator hominem de paradiso ejecisset, nisi aliqua elatio in animam hominis præcessisset.* lib. cont. divers. sent. hic honor, & hac erat dignitas hominis --- sed intumuit honoris fastigio delectatus; serm. in Cœn. D. *Ecce inquit altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui sibi crederet, habuit -- scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo.* serm. de Advent. D. *Eva expectare noluit, ut de manu Domini, unde jam cetera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, sed præripere illam serpentis consilio attentavit:* serm. 10 in Fest. omnium SS.

Objicies primò. Serpens non fuit locutus Adamo, ergo non fuit secuta superbia suasionem illius in Adamo. Respondeo distinguendo antecedens: serpens non fuit locutus Adamo immediatè, concedo: non fuit locutus mediatè, id est, mediante muliere, quæ verba illius retulit, cum illum ad edendum fructum veritum provocaret, & ad superbiam incitaret, nego antecedens, & consequentiam. *Sumpsit de fructu ejus, inquit S. Augustinus lib. 11. de Gen. ad lit. c. 30. & manducavit & dedit etiam viro secum &c.* relatis sine dubio verbis serpentis promissoriis, *nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii,* cum maximè desideraret virum habere
sui

sui imitatore. Hinc S. Pater cit. lib. c. 39. dicit, fuisse verba Dei insultantis Adamo, quando dixit Gen. 3. *Ecco Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum & malum*, quia scilicet non solum non fuit consecutus, quod superbè appetivit, sed etiam, quod habuerat, amisit. Et ibidem c. 39. ait, fuisse verba deterrentis cæteros, ne ita superbirent. & c. 42. *Virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat, aliqua experiendi cupiditas sollicitavit, cum mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam.*

Objicies secundò. Primum hominis primi peccatum fuit peccatum inconsiderationis contra præceptum se noscendi, quo obstrictus fuit ab initio creationis; ergo primum peccatum non fuit superbia. Respondeo negando consequentiam, quia præceptum illud fuit regula humilitatis, & consequenter sicut notitia sui est connexa humilitati, ita inconsideratio sui est connexa superbiæ, juxta illud S. Bernardi serm. 35 super Cant. *Quanam causa tanta dejectionis? profecto quod homo, cum in honore esset, non intellexit, --- vides quam sit fugienda nobis hæc ignorantia, de quâ tot millia malorum universo nostro generi provenerunt. Ait enim propterea hominem jumentis insipientibus comparatum, quia non intellexit.*

Objicies tertio: Qui appetit similitudinem Dei, quantum ad scientiam, non peccat, quia omnis homo naturaliter scire desiderat: ergo primus homo, appetendo similitudinem Dei, quoad scientiam, non peccavit; ergo non comisit peccatum superbiæ, talem si-

militudinem appetendo. Respondeo distinguendo antecedens : qui appetit similitudinem Dei, quoad scientiam, ordinatè, non peccat, concedo : qui appetit inordinatè, siue supra propriam mensuram, non peccat, nego antecedens : & distinguo similiter consequens : ergo primus homo non peccavit, appetendo ordinatè, concedo ; inordinatè, nego consequentiam primam, & secundam. *Qui per se vult esse, inquit S. Augustinus in psal. 70. ut Deus à nullo est, perversè vult esse similis Deo, ut diabolus, qui noluit esse sub eo, & ut homo, qui, ut servus noluit teneri precepto.*

Objicies quartò : Primi homines fuerunt primo tentati circa fidem his verbis : *non moriemini &c.* ergo primum peccatum non fuit superbia. Respondeo negando consequentiam. Licet enim serpens prius illa protulerit, intentio tamen fuit primo trahere in peccatum superbiæ ; sicut etiam, absoluta tota propositione, accidit ob verba extrema, quæ maximam excellentiam promittebant. *Eritis sicut dii &c.* per quæ proponebatur motivum superbiæ.

Objicies quintò. Fides est fundamentum justitiæ : ergo infidelitas est fundamentum iniustitiæ : ergo peccatum infidelitatis fuit prius. Respondeo negando consequentiam. potius enim sequitur infidelitatem esse finem iniustitiæ. siue ultimo destrui fidem, sicut fundamentum domus ultimo destruitur ; quo pertinet illud Augustini lib. de Pastor. c. 2. *Alia secta in Africa, alia in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia. Diversis locis sunt diverse, sed una mater superbiæ omnes genuit.*

Objicies sextò. S. Augustinus docet inordinatum amorem erga uxorem fuisse primum Adæ peccatum; nam lib. II. de Gen. ad lit. c. 42. ait: *Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, ei que dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebatur posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo --- non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis sue: sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. &c.* Et lib. 14. de Civit. c. II. ait: *Credendum est, illum virum sua femina, uni unum, hominem homini, conjugem conjugem, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali neesse situdine paruisse, ergo &c.* Respondeo negando antecedens: Ad cujus probationem dico, S. Patrem in locis civitatis tantum velle, quod amor uxoris fuerit prior inobedientia, qua violavit præceptum, posterior autem superbia, de quâ ibi non loquitur.

Instabis: Nondum erat in Adamo concupiscentia, quando uxorem inordinatè amabat, ut patet ex primo jam citato loco: ergo superbia illum amorem non præcessit.

Respondeo negando antecedens. non enim negat S. Pater quod fuerit in illo concupiscentia, sed quod senserit eam in membris, & victus fuerit ab illa. Nondum enim aperti erant oculi eorum, & completa transgressio. Et hinc fortè nondum animadvertit, unde inordinatio appetitus proveniret, sicut quando timuit

contristare uxorem, non consideravit mutationem in illa factam & aliquid pœnale.

Instabis secundò. Dicit S. P. Augustinus lib. 14. de Civ. c. 14. quod Adam, dum Deo arguenti respondit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*, se excusando accusaverit. *Licet isti*, inquit, *non sicut Cain, quod commiserunt, negent, adhuc tamen superbia querit in aliud referre, quod perperam fecit: superbia mulieris in serpentem: superbia viri in mulierem. Sed accusatio potius quam excusatio vera est, ubi mandati divini est aperta transgressio. &c.* Sed Adam tacitè pro excusatione allegat tantum amorem uxoris in citatis verbis: ergo ille fuit primum peccatum. Respondeo Adamum videri voluisse referre causam sui peccati in Deum, eo quod ille sociam mulierem dedisset, amoremque naturalem erga illam indidisset, quo impulsus verba ipsius audivit, & consensit, quam excusationem Deus tacitè rejecit respondendo: *Quia audisti vocem uxoris tue & comedisti &c.* Et satis insinuavit, uxorem non fuisse audiendam. Huc spectant verba S. Augustini loco proximè citato: *Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier serpente suadente, vir muliere impertiente commisit, quasi quicquam Deo, cui vel crederetur, vel cederetur, anteponendum fuerit.*

Urgebis: Superbia est amor sui nimius, sed amor sui in Adamo non potuit esse primum peccatum: ergo superbia non fuit primum peccatum, sed potius inordinatus amor uxoris: Probatur minor: quia homo non se primò, sicut Angelus, sed priùs alia sensibilia objecta intelligit & amat; ergo primum peccatum

non

non fuit amor sui vel proprii commodi, sed alterius objecti sensibilis, videlicet uxoris, cum aliud objectum sensibile non occurreret, quod excitaret ad peccatum: ergo &c. Respondeo negando minorem, & ad probationem eius dico, quod primo sibi inordinate concupiverit supra expositam excellentiam, licet non ita facile & sine suatore extrinseco ex se & ab intrinseco potuerit ad superbiam, sive inordinatum excellentiae amorem excitari, quam potuit Angelus ex cognitione suae excellentiae.

Objicies septimo. Si homo commiserit peccatum superbiae, appetendo inordinate excellentiam, appetivit excellentiam a serpente promissam his verbis: *Eritis sicut Dei*: sed talem appetere ante peccatum non potuit: ergo non commisit primo peccatum superbiae. Probatur minor: quia excellentia promissa dictis verbis erat excellentia divina, quam primus homo sibi sciebat esse impossibilem. Respondeo negando minorem. Ad cujus probationem dico, verbis serpentis non fuisse propositam omnimodam aequalitatem cum Deo, sed similitudinem Dei, ut ex verbis constat, quam desideraverunt inordinate, sive supra mensuram, & ideo peccarunt peccato superbiae, quae est appetitus inordinatus propriae excellentiae seu celsitudinis. Alii respondent peccatum superbiae in primis hominibus incepisse a nimia & inordinata consideratione & appetitione propriae excellentiae, & completam fuisse in appetitione aequalitatis cum Deo.

Objicies octavo. Primum mulieris peccatum fuit dubitatio de poena mortis apposita transgressioni pra-

cepti, ut constat ex his verbis: *Ne fortè moriamur;* ergo primum peccatum non fuit superbia. Respon-
deo negando antecedens: per tò fortè enim non sem-
per in Scriptura significatur dubitatio. Hic autem
significatur incertus eventus mortis, ob incertitudi-
nem transgressionis, quæ erat primis hominibus li-
bera.

Dico secundò. Primus homo peccavit etiam pec-
cato inobedientiæ & aliis pluribus, secundum Augu-
stinum. De inobedientia constat, quia primus homo
præcepta Dei contempsit, ut patet ex illo Tract. 4. in
Epist. Joan. *Contempsit Adam in paradiso positus præ-
ceptum Dei, & erexit cervicem, veluti in potestate sua
esse cupiens, & nolens subdi voluntati Dei.* Et lib. 14. de
Civ. c. 13. *Primi parentes in occulto mali esse ceperunt,
ut in apertam inobedientiam laberentur.* Et lib. 5. de
hæres. c. 5. *Eva inobediens meruit pœnam, Maria
obediendo consecuta est gratiam.* Et lib. 8. de Gen. ad
litt. c. 14. *Homo contemnens præceptum Dei didicit, quid
interest inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ.*
Et lib. cont. Advers. legis. c. 14. *Hæc est pœna inobe-
dienti homini reddita in semetipso, ut ei vicissim non obe-
diatur, nec à semetipso.*

Probatum etiam de aliis peccatis ex eodem Augusti-
no, qui loco in notabili citato ex Enchr. ait: *In illo pec-
cato uno possunt intelligi plura, & subjicit: nam & super-
bia est illic --- & sacrilegium, quia Deo non credidit, &
homicidium, quia semetipsum precipitavit in mortem: &
fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humana ser-
pentina suasionem corrupta est: & avaritia, quia plus quam
illi sufficere debuit, appetivit &c.* Ad-

Adde his peccatum curiositatis, gulæ, scandali &c. S. Bernardus quoque varia refert peccata. dicit, quod fuerint inobedientes, intemperantes, in verba malitiæ conversi ad excusanda peccata &c. Specialis autem difficultas est, an primi homines commiserint peccatum infidelitatis & fidem amiserint?

Dico tertio. S. Augustinus favet sententiæ affirmati-
 tivæ. Constat ex variis locis. Primo ex Conc. 2. in pl.
 70. ubi ait S. Pater: *Credidisti, quod promisit diabolus, &
 invenisti quod minatus est Deus.* Secundo ex Conc. 1.
 in pl. 68. *Rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt
 felicitatem.* Tertio ex lib. 2do de Gen. cont. Manich.
 c. 15. *Quid hic intelligitur nisi persuasum esse (subintel-
 lige per verba serpentis) ut sub Deo esse nollent, sed in sua
 potestate potius sine Dominio, ut legem ejus non observa-
 rent, quasi providentes sibi, ut seipsi regerent non indigen-
 tes illius intrinseco lumine; sed utentes propria providen-
 tia, quasi oculis suis, ad dignoscendum bonum & malum,
 quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, ut
 suam potestatem nimis amarent, & cum Deo pares esse
 vellent.* Quarto ex l. de Cant. nov. c. 8. *Deum con-
 tempnit, serpenti credidit.* Quinto ex serm. 34. de di-
 vers. c. 2. *Aurem præbuit serpenti, aurem clausit ad
 Deum - - inde enim audivit Deum, inde audivit diabo-
 lum, quare non potius meliori credidit?* Sexto ex lib.
 14. de Civ. c. 17. ubi dicit S. Augustinus: *Cognoverunt
 (intellige se esse nudos) quod felicius ignorarent, si Deo
 credentes & obedientes non committerent, quod eos coge-
 ret experiri, infidelitas & inobedientia.* Septimo ex l. 1.
 de pecc. merit. c. 7. ubi explicans S. Pater illud Apo-
 stoli

stoli ad Rom. 8. *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est, propter peccatum, spiritus verò vivit, propter justificationem &c.* Sic ait: *Attendere quippè debent corpus adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est. Sed jam spiritum cœpisse vivere propter justificationem fidei, qui & ipse fuerat in homine quadam morte infidelitatis extinctus. Id est, fides per infidelitatem in primo homine fuerat extincta.*

Consentit S. Bernardus dicens: *Credidit insipiens mulier pollicenti, sed seducenti: eritis sicut dii scientes bonum & malum ferm. 68. sup. Cant, S. Thomas 22. q. 163. a. 4. mulier credidit verum esse, quod serpens suasit.*

Objicies primò. Si primi homines defecerint à fide, sequitur totam Ecclesiam defecisse à fide, sed hoc salva fide dici nequit, ergo primi homines non defecerunt à fide. Sequela majoris probatur: quia Ecclesia in principio constabat tantum ex duobus primis hominibus: ergo tota Ecclesia defecit, si ambo defecerint. Imò si unus tantum defecisset, non mansisset Ecclesia, cum Ecclesia sit plurium fidelium collectio. Minor etiam probatur: quia Ecclesiæ à Christo fundatæ promissum fuit nunquam esse defecturam, ut constat ex illo Luc. 22. *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Et illo Osee. 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum &c. Sponsabo te mihi in fide;* ergo & prima non potuit deficere. Respondeo negando minorem; Ad cujus probationem, nego consequentiam, si ista collectio primorum hominum Ecclesia sit dicenda, & dico cum Augustino lib. de corrept. & grat. c. 12. *Ita factum est.*

est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret, per virtutem Dei, cum voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliori, non perseveraverit --- dicente ergo Christo, rogavi pro te, ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui edificatur supra petram. Atque ita homo non solum, quia misericordiam consecutus est, ut fidelis esset, verum etiam, quia fides ipsa non deficit, qui gloriatur in Domino gloriatur.

Dixi. Si Ecclesia dicenda sit; quia Ecclesia dicitur à vocatione, qua vocantur ad fidem infideles, juxta illud S. Augustini serm. 16. de verb. Apost. c. 1. Vocavit nos Deus cum aversi essemus; primi autem homines ante prævaricationem non fuerunt aversi, sed creati in gratia, ut constat ex Dissertat. præced.

Objicies secundò. Si Adam à fide defecit, falsum est illud Pauli 1. ad Timoth. 2. Adam non est seductus. Sequela probatur, quia si lapsus fuit in errorem contra fidem, fuit seductus non minus, quam Eva, sicque nullum erit inter virum & mulierem, quoad hoc, discrimen, cujus oppositum insinuat Apostolus & ipse S. Pater lib. 14. de Civ. c. 11. ubi ait: Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus; nec Salamonem credibile est errore putasse, idolis esse serviendum, sed blanditiis scemineis ad illa sacrilegia fuisse compulsus: ita credendum est, illum virum sua scemina uni unum, hominem homini, conjugem conjugum ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus: Adam non est seductus, mulier autem seducta est: nisi quia illa, quod ei ser-

serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communionem peccati, nec ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit. Unde & Apostolus non ait, non peccavit, sed non est seductus. --- Hos autem seductos intelligi voluit, qui id, quod faciunt, non putant esse peccatum, ille autem scivit. Alioquin, quomodo verum erit, Adam non est seductus --- quid ergo opus est pluribus? etsi credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo capti sunt, & diaboli laqueis inquinati: ergo &c.

Respondeo negando sequelam, & ad probationem dico, non fuisse seductum taliter, qualiter fuit seducta Eva. Eva enim circumventa ab astutia serpentis credidit, Deum fuisse mentitum, dum mortem fuit minatus, & ex invidia prohibuisse, ne de ligno ederent, ne ad Dei similitudinem pervenirent: Adam vero non sic fuit seductus. Si enim deceptus fuit, non fuit deceptus propter serpentis promissionem, nec propter fidem adhibitam verbis illius, aut uxoris, credendo futurum, quod dixerunt, sed propter propriam conjecturam adjunctam partim elatione superbiae, partim inordinato affectu erga uxorem, & sub conditione, si possibile foret, incidit in falsas cogitationes & dubitationem saltem deliberatam contra fidem. Hinc dicit S. Pater Augustinus l. 11. de Gen. ad lit. c. ult. *Virum propter aliquam mentis elationem sollicitavit aliqua experiendi cupiditas &c.* experiendi nempe, qualis esset virtus illius cibi, cum mulierem sumpto cibo non vidisset mortuam. Hinc S. Thomas in 2. dist. 22. qu. 1. a. 3. in muliere, inquit, talis fuit elationis progressus, ut ad verba serpentis

pentis tantum excellentia appetitum conciperet, ut iudicium rationis perverteret, & crederet hoc possibile esse & verum, quod diabolus dicebat, & propter hoc dicitur esse seducta: In viro autem non tantum excrevit in principio amor propria excellentia, ut iudicium eius perverteret, quasi crederet hoc esse futurum, sed quia illud vellet, si possibile foret, & ideo non dicitur fuisse seductus: sed tamen talis elatio ad experiendum ipsum incitavit. Unde aliquam dubitationem elatio in eo fecit, quae in muliere firmam opinionem conceperat &c. Adde Adamum deceptum fuisse etiam ex nimia passione secundum S. Augustinum lib. 14. de Civ. c. 11. quia credidit peccatum esse veniale, si contra praecipuum comederet de ligno vitae, id est de facili remissibile, ut exponit S. Thomas 22æ quaest. 163. a. 4. ad 3. ex quo etiam colligitur efficax fuisse argumentum, quo usus fuit S. Augustinus & alii Patres contra Semipelagianos contendentes fidem ex nobis esse, & per illam nos gratiam mereri, videlicet, fidem in posteris Adæ fuisse amissam, nec posse recuperari nisi per gratiam Salvatoris, quia Adam cum Eva peccando perdidit fidem, & quidquid ille perdidit, posterius in ipso perdidisse. Ex quibus patet quoque, quo sensu de Adamo verificari possit illud S. Bernardi Ep. 1. ad Robert. *Protoplastum dolo captum expellit de Patria felicitatis*: & illud serm. 26. de mod. beneviv. *Adam peccavit per industriam; Eva vero per ignorantiam: qui vero decipitur, ignorat quid consentiat.*

Objicies tertio. S. Augustinus l. 11. de Gen. ad lit. c. 42. negat Adam credidisse serpenti, dicens: *illud magis movet, si jam spiritalis erat Adam, quamvis mente,*

non corpore, quomodo credere potuerit, quod per serpentem dictum est. Et infra. Non tamen arbitror eum, si jam spiritali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse: ergo non est sententia S. Augustini, quod Adam erraverit in fide. Respondeo negando consequentiam. Adam enim ut dictum est Dissertat. præcedenti non erat spiritalis, quando serpenti credebat; si per spiritalitatem intelligatur gratia sanctificans, quæ jam per peccatum superbiæ erat perdita. Adde, Adamum non fuisse taliter seductum, qualiter fuit Eva, ut dictum est in responsione ad objectionem secundam.

Objicies quartò: Adam post peccatum timuit Deum juxta illud Gen. 3. *Vocem tuam audivi in Paradiso & timui*: ergo non amisit fidem. Probatuf consequentia; quia per fidem cognovit Deum, quem timuit. Respondeo negando consequentiam, & ad probationem dico, timorem illum potuisse oriri ex notitia naturali Dei, non totaliter per peccatum destructa.

Objicies quintò: Angeli per peccatum non perdidit fidem; ergo nec primi homines. Probatuf antecedens: quia *dæmones credunt & contremiscunt*, ut testatur Apostolus Jacobus. Consequentia etiam probatur: quia Angelorum peccatum fuit gravius.

Respondeo distinguendo antecedens: Angeli non perdidit fidem acceptam pro dono Dei supernaturali, quo creditur Deo revelanti, nego: acceptam pro notitia Dei naturali, relicta post peccatum, concedo antecedens. Et eodem modo distingui potest consequens: ergo nec primi homines acceptam pro dono
rali,

tali, nego; acceptam pro notitia naturali, concedo consequentiam.

Objicies sextò, Homines in statu naturæ lapsæ non amittunt fidem, etsi gravissima committant peccata; ergo nec primi homines amiserunt fidem. Respondeo negando consequentiam. qui enim in hoc statu post gravissima peccata non amittunt fidem, tribuere debent misericordiæ Dei, apud quem, ut Augustinus ait l. 3. de lib. arb. c. 18. *Iustum est, ut qui sciens recta, non facit, amittat ipsam rei scientiam.* Adde: Deum etiam in hoc statu permittere plurimos labi in peccatum infidelitatis, ob præcedentia peccata.



DUBIUM SECUNDUM.

An detur peccatum originale, & ejus existentia ab Augustino efficaciter probetur?

A Dec necessaria est peccati originalis notitia, ait S. P. Augustinus lib. 5. contra Julian. c. 2. *Vt, qui illud negant, ipsa fidei fundamenta nitantur subvertere.* Negavit autem olim peccatum originale Pelagius cum suis pestiferis discipulis Cælestio & Juliano (quorum Magister fuit Origenes, & post illum Rufinus Monachus Aquilejensis, Origenis discipulus, ut in historia

B

Pela.

Pelagiana ostendit Pater de Noris, & Natalis Alexander in Hist. Eccl.) qui voluerunt primum hominem sibi soli per peccatum nocuisse, excepto hoc, quòd per illud posteris suis malum exemplum dederit, & occasionem illud imitandi. Unde dicebant, posteros primi hominis nasci in illo statu, in quo Adam fuit ante peccatum, ut ex pluribus Augustini libris constat, fuitque hic error ab Augustino magno labore & diligentia per multos annos examinatus & refutatus: Et hinc optimè S. Doctor meritus fuit de fide christiana, cujus fundamentum dicti hæretici evertere conabantur, per negationem peccati originalis. *In causa*, inquit S. Pater lib. 2. de grat. contra Pelag. c. 24, *duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alium redempti à peccato, propriè fides christiana consistit.* Hæc hæresis fuit radix & origo plurimorum errorum, usque ad hæc tempora nostra in variis hæreticis, quorum aliqui cum Pelagio universaliter peccatum originale negant; aliqui tantùm volunt illud contrahi à filiis infidelium. Hæc examinabitur, quid senserit Augustinus, id est, quomodo existentiam peccati originalis probaverit?

Respondeo & dico: quòd detur peccatum originale, id est, peccatum verum ac propriè acceptum, à primo homine in posteros derivatum, ab Augustino efficaciter probatur. Hæc doctrina tam apertè revelata est in S. Scriptura secundum August. l. 3. de peccat. merit. cap. 4. *Vt, etiamsi solvi adversariorum argumenta non possent, nihilominus ei firmissimè inhaerendum sit.* Loca verò Scripturæ, quibus utitur S. Pater, ad probandum,

dum, dari peccatum originale; prout est infectio personarum, ab Adam naturali generatione descendit, sunt varia: Præcipue probat ex illo, ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt: Quem locum quidam Pelagiani interpretabantur de ingressu peccati, per solam imitationem, juxta illud Augustini serm. 14. de verb. Apost. c. 14. Conantur respondere, & dicere, ideo dictum hoc ab Apostolo, quia primus peccavit Adam, & qui postea peccaverunt, illum imitando peccaverunt &c. at evincit Augustinus ibidem: Scilicet l. 1. de peccat. merit. c. 8. & sequentibus, non posse hoc intelligi de sola imitatione, aliàs diabolus deberet dici princeps peccati, & per eum intrasse peccatum, cujus contrarium constat ex loco Apostoli jam cit. & ex illo quod additur ibidem: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justii constituentur multi.* Ex quo colligitur, quod sicut justii non constituuntur per solam imitationem, sed per gratiam, quæ illis infunditur, ita etiam peccatores non constituuntur per solam imitationem, sed per peccatum derivatum in illos, ab uno homine, tanquam generationis principio; ut nihil dicam de illis, qui ob defectam cognitionis Adam imitari non potuerunt, & tamen in eo peccaverunt: Verba Augustini lib. cit. de peccat. merit. sunt hæc: *Si Apostolus peccatum istud commemorare voluisset, id in hunc mundum non propagatione, sed imitatione intraverit, ejus principem non Adam, sed diabolum diceret, de quo**

scriptum est, ab initio diabolus peccat: de quo etiam legitur in libro Sapientie: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, &c. imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei: sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & Christum imitantur Sancti eius &c. sed præter hanc imitationem gratia ejus illuminationem, justificationemq; nostram etiam intrinsecus operatur &c. Sicut ergo ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latentem infundit & parvulis: sic & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quod illis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tæbe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Hinc omnino nec aliunde, Apostolus dixit: Per unum hominem peccatum intravit in mundum.

Utitur etiam S. Pater ad probandum peccatum originale loco Apost. ad Ephes. 2. sic enim serm. supra cit. de verb. Apost. c. 14. ratiocinatur: Respexit originem, cum ait: Ira Dei manet super eum. Quam respiciens & Apostolus, dixit: Fuimus & nos aliquando natura filij iræ. Non accusamus naturam, natura auctor Deus est; à Deo bono est instituta natura. Sed per malam voluntatem à serpente vitiata est; ideo quod fuit in Adam culpa, non natura, nobis propagatis factum est jam natura. Ab hoc vitio natura, cum quo nascitur homo, non liberat, nisi qui natus est sine vitio. Ab hac carne non liberat, nisi ille, qui

qui natus est sine peccato per similitudinem carnis peccati.

Lib. 6. cont. Jul. c. 4. allegat testimonium ejusdem Apost. 2. ad Cor. 5. Quoniam unus pro omnibus mortuus; ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est, & dicit: ex hoc enim probavit, omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. accipe, salubre est. Nolo moriari. Unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est: quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.

Rationes, quibus S. Pater probat existentiam peccati originalis, sunt variae. Prima delimitur à denegatione vitae aeternae & baptismi. Arguit enim S. Doctor contra Pelagianos: Si non daretur peccatum originale, Deum sine injustitia non posse parvulis negare baptismum & vitam aeternam, ut patet ex libris, quos contra eos scripsit, praesertim Julianum. Nam l. 1. cont. Jul. c. 7. ait: Iam tu responde, utrum Deus justus nulli obnoxiam peccato imaginem suam, privare vita possit aeterna? Lib. 3. c. 12. Quare nihil mali merentes, tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei? nunquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regno, ut tam luctuoso puniantur exilio, cum id non fecerunt, quod facere omnino non poterant? & ibid. qua justitia quæso à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei? Similia habet

L. c. 15 l. 6. c. 4 l. 1. oper. imperf. c. 35. ubi sic ait: *Die qua iustitia ille parvulus adoptatur in baptismo, ille sine hac adoptione moriatur, cur non sit ambobus honor iste communis, aut ab isto honore alienatio, cum sit ambobus, seu bona, seu mala causa communis? non dicit, quia nec Dei gratiam, nec Dei iustitiam homo magis Pelagianus, quam Christianus sapi, &c.*

Secundò probat S. Pater existentiam peccati originalis argumento deducto à necessitate baptismi, quam Pelagiani agnoscebant. Si enim peccatum originale non daretur in parvulis, superfluum esset baptismus, utpote institutus, ad conferendam gratiam remissivam peccati, juxta illud 1. 2. de verb. Apost. c. 2. *Quid necessarium ergo habuit infans Christo, si non aegrotat?*

Tertia ratio petitur ex concupiscentia, cum qua nascuntur parvuli, & quæ manet in renatis. Quòd enim cæca & indomita concupiscentia sit pœna peccati, & ideo in hominibus innocentibus esse non potuerit, probatum est tract. præced. *Sua culpa, inquit. pat. l. 1. ad Bonif. c. 16. sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut, quod est impudentissimum, de his suis moribus non erubescere, aut quod est ingratiissimum, de sui Creatoris operibus erubescere. Hujus nos pudet, & meritò pudet. Portamus omnes, inquit S. Bernardus loc. sup. cit. impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ, --- per hereditariam concupiscentiam serpens nostrum sedula satagit sollicitudine vendicare consensum, --- legi mentis contraria lex rebellionis insatigibili assidue contradicit.*

Quarta ratio desumitur ex profunda ignorantia,
errore,

errore, & insipientia. Ex his enim concludit S. Pater, dari peccatum originale, ut notum est ex l. 3. de lib. arbit. c. 8. ubi ait: Si autem homo, qui nunc nascitur, cum ista ignorantia bonus esset, aliter esset; nunc autem, quia ista est, non est bonus &c. pœnam istam esse, quis dubitet? omnis autem pœna, si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur; si autem iniusta pœna est, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante, hominè imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei, & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Et l. 5. cont. Jul. c. 4. Quapropter humana natura, quæ jacet in parvulis, cui laudibus vestris salvatorem, tanquam sana sit, invidetis, quemadmodum prius proferat insipientiæ, quàm sapientiæ fructus, videtis, & radicis ejus vitium videre non vultis, aut videtis, quod pejus est, & negatis, &c. unde potuerunt in tantum malum ruere, si divino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ? Similia habet in plurimis aliis locis.

Quintò probat S. Pater existere peccatum originale in parvulis ex morte, & laboriosissimis & gravissimis hujus vitæ malis, sive iugo gravi, quod est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, ut Ecclesiasticus loquitur Eccle. c. 40, hæc enim supponunt culpam. Huc spectat illud Augustini l. 2. cont. Jul. c. 1. Magis quæ iniquus aut infimus ostenditur, si iugum grave super filios Adam à die, sicut scriptum est, nativitatis eorum, usque in diem sepulturae in matre omnium: sub quo iugo imago ejus atteritur, aut ipse nullo, vel originali, vel proprio precedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit invito. Et l. 4. c. ult. Quia nec injustus, nec impotens est

Deus, restat quod non vis, sed cogeri confiteri, quod grave jugum non fuisset, nisi delicti originalis meritum precessisset. Et l. 6. cont. Jul. c. 5. Quomodo autem non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod justè jugo premantur gravi. Et l. 1. oper. imperf. c. 39. Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest. Et l. 6. e;uidem oper. c. 27. Vbi est justitia Dei, quàm si cogitares, nunquam crederes sine ullo merito peccati originalis tam miseros esse nascituros? Et serm. 139. de temp. Malorum omnium nostrorum causa peccatum est. Non enim sine causa mala ista homines patiuntur: iustus est Deus: non ista paterentur, si non mererentur.

Dices, Deus permittit tantùm has miserias: ergo non bene concluditur ex illis existentia peccati originalis. Respondeo negando consequentiam, & dico cum Augustino l. 1. oper. imperf. cont. Jul. c. 50. Ipse est omnipotentissimus, qui grave jugum, quo premuntur filij Adam, ex die nativitatìs suæ, procul dubio ab eis posset auferre, imò nec ullo modo illud imponeret, imponere permitteret, nisi peccata in eis, cum quibus nati sunt, inveniret.

Hunc peccati originalis effectum, & consequenter argumenti Augustiniani hujus vim agnovit pariter S. Bernardus, dicens: Originale quidem maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, --- maximum planè -- in singulis quoque à planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum; sed & aliter nihilominus in universam dilatatur aetatem, ab ea scilicet die, qua sua quemq; concipit, usque ad eam, qua communis

eam recipit mater. Alioquin unde grave jugum super omnes & totos filios Adam? idq̄ à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium? serm. de Pass. D. fer. 4 Hebd. pœnit.

Et S. Thomas 2. 2. q. 164. a. 1. in corp. *Sicut rebellio carnalis appetitus ad spiritum est pœna peccati, ita etiam & mors, & omnes corporales defectus &c. primi parentes fuerunt à Deo instituti, non solum sicut quaedam personæ singulares, sed sicut quaedam principia totius humanae naturae ab eis ad posterios derivanda simul cum beneficio divino præservante à morte, & ideo per eorum peccatum tota natura humana, in posteris tali beneficio destituta mortem incurrit.*

Objicies primò : Si hæc Augustini argumenta sint efficacia, sequitur impossibilem esse statum puræ naturæ. Probat sequela : quia argumenta priora Augustini fuerunt hæc : si parvuli non essent infecti peccato, non posset illis Deus sine injustitia negare gratiam sanctificantem, & vitam æternam ; atqui hæc vim non haberent, si status puræ naturæ esset possibilis, cum in illo negari posset à Deo gratia & gloria sine injustitia ; ergo sequitur talem statum esse impossibilem, si argumenta sint efficacia : sed hoc dici non potest ob damnatas propositiones Michaëlis Baii, quibus asserta fuit hujusmodi status impossibilitas. Respondeo primò, ut supra, concedendo sequelam majoris, si status puræ naturæ accipiatur, pro statu naturæ separatae ab omni Dei beneficio indebito, tam entitative naturali, quam supernaturali, loquendo de potentia ordinaria sive ordinata ut S. Thomas loquitur.

B S

Respon-

Respondeo secundò : Negando sequelam, si status puræ naturæ accipiatur pro statu naturæ separatae à gratia sanctificante aliisque donis in entitate supernaturalibus & habitualibus : ad cuius probationem respondeo, Augustini argumenta supponere tanquam notum ex sacra scriptura, hominem de facto esse creatum propter regnum cœlorum , & consequenter gratiam & gloriam deberi omni descendenti ex Adamo nulla culpa infecto, sive, non posse ea sine iniustitia negari absque culpa vel præcedente vel saltem comitante. Ex hoc autem quod creatura sine iniustitia privari non possit privilegio concessio, non sequitur gratiam non esse gratiam , cum nec naturæ secundum se spectatæ, nec personæ debeatur , & per consequens sic spectata possit condi sine illa & integritas primæ creationis fuerit indebita naturæ humanæ exaltatio & maximum beneficium juxta illud 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur & simus.*

Objicies secundò : Argumentum Augustini deductum ex morte & vitæ hujus miseris est vitiosum ; ergo per illud non probatur existentia peccati originalis. Antecedens probatur : quia argumentum illud supponit, quod erat in quæstione, & ab adversariis Augustini negabatur. Supponit enim , mortem & miseras hujus vitæ esse pœnam peccati originalis , cujus contrariam asserabant Pelagiani , quia volebant mortem homini esse naturalem , ut constat ex variis libris oper. imperf. cont. Jul. Respondeo negando antecedens, & ad probationem dico, S. Augustinum supposuisse quod certum erat ex doctrina fidei , & consequenter

quenter à Pelagiano negari non poterat. *Habet enim hoc traditio fidei, inquit S. Thom. l. 4. cont. gent. c. 52. Quod nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato procedente vel in persona, vel saltem in natura.* Non est igitur ad argumenti Augustiniani efficaciam necessarium, ut asseratur, aut supponatur, nulli à Deo creabili homini mortem aliasque hujus vitæ misérias accidere posse de potentia absoluta sive extraordinaria, si spectetur secundum intrinseca naturæ; cum homo separatus ab omni indebito Dei beneficio ex natura sua sit corruptibilis, utpotè ex contrariis compositus, & consequenter ei sic spectato duratio vitæ non debeatur, etsi consideretur sine peccato. Primus homo ante peccatum poterat mori, & ex Dei dono poterat non mori: aliud est posse non mori, aliud non posse mori; sicut aliud est posse mori, aliud mori, aut esse morum. Primus homo poterat mori, sed moriturus non fuisset, si peccatum non commisisset; homo beatus non potest mori, & interdum ad divinam providentiam spectat, non permittere, ut id fiat, quod spectata rei natura fieri potest, ut probatum quoque est dissert. præced. sicut ergo valde probabiliter asseritur, non posse Deum permittere, ut homo concupiscat adversus spiritum, nisi præcesserit peccatum, etsi potentia concupiscendi ei conveniat spectato secundum naturæ principia; ita dici potest, non posse Deum permittere mortem, aliasque supra memoratas vitæ misérias, nisi præcesserit peccatum, etsi homo spectatus secundum naturæ

naturæ principia possit mori. Et hoc est quod dicit S. Thom. loc. sup. cit. *Sic igitur huiusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute considerando humanam naturam, ex parte ejus, quod est in ea inferius, tamen considerando providentiam, & dignitatem superioris partis humane, satis probabiliter probari potest, huiusmodi defectus esse pœnales, & sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo esse infectum.* Hinc etiam Philosophi lumine fidei destituti, finxerunt, animas ob peccata in vita præterita commissa, cogi ad tolerandas hujus vitæ miseras; de quibus S. Pater l. 4. cont. Jul. c. ult. ait: *Hujus evidentia miseriæ gentium Philosophos, nihil de peccato primi hominis sive scientes sive credentes compulit dicere, ob aliqua scelera, suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa nos esse natos.* Hoc tamen notandum est, minus esse inconveniens, si homo in statu puræ naturæ conderetur, subjectus miseriis corporalibus, quam cum concupiscentia rebeli, eo quod istæ miseriæ non sint defectus morales, hæc verò sit talis, inclinans nempe moribus suis inordinatis ad peccatum. Hanc differentiam indicat S. Pater l. 5. cont. Jul. c. 7. ubi ait: *Sed aliæ sunt rerum corporalium qualitates, quæ secum à contrarijs temperantur, ut bene valeamus, & cum sint in diverso genere bonæ, tamen cum discordant malam valetudinem faciunt: & aliæ sunt animæ cupiditates, quæ propterea carnis dicuntur, quia secundum carnem anima concupiscit, cum sic concupiscit, ut ei spiritus, id est, pars ejus melior & superior debeat repugnare.*

Instabis: Mors non est mala: ergo non est pœna peccati. Patet consequentia: quia pœna continetur

sub

sub malo. Antecedens etiam probatur: tum quia mors est à Deo, tum quia est meritoria vitæ æternæ, ut patet in Martyribus. Respondeo cum S. Augustino & S. Thom. mortem posse considerari duobus modis, videlicet, ut est malum quoddam naturæ humanæ, & ut habet quandam rationem boni, & acceptum primo modo non esse à Deo, sub alia autem consideratione, id est, ut est iusta pœna esse à Deo. Hinc dicit S. Pater l. 1. Retr. c. 21. *Quod homo sibi acquisiverit mortem deserens Deum: quod vita sit à Deo donante & mors à vindicante*, hocque sensu verum sit illud sap. 1. *Deus mortem non fecit, & illud Eccles. 11. Vita & mors à Domino Deo est.*

Urgebis mors sentiri non potest ab homine, ergo non est pœna. Probatur antecedens, quia mors est privatio vitæ & sensus. Respondeo; mortem acceptam pro corruptione alterante & terminante ad istam privationem sentiri.

Objicies tertio: Augustinus in psal. 70. dicit: *Quis enim ei diceret, quid fecisti, si damnares justum? quanta ergo misericordia eius ut justificet injustum?* ergo non benè probatur existentia peccati originalis ex miseriis hujus vitæ. Probatur consequentia: quia ipsa damnatio, quæ est maxima pœna, secundum Augustinum non supponit peccatum, cum justus possit damnari absque injustitia juxta loc. cit. Respondeo negando consequentiam. Ad cujus probarionem responderi potest primo, locum Augustini esse intelligendum de justo in statu naturæ lapsæ, cui ob peccatum originale non solum infligi possunt miseriæ hujus vitæ, sed ipsa etiam

etiam damnatio, non quidem manenti iusto, sed lapsō de statu iustitiæ in statum peccati, & in eo perseveranti, defectu auxiliorum, quæ Deus iusto huius status, insurgentibus tentationibus, absque injuria in pœnam peccati originalis negare potest.

Responderi potest secundò: Legendum esse: *Quis enim ei diceret quid fecisti, si damnaret injustum?* locus enim sapientiæ, ex quo S. Augustinus verba citata sumpsit, agit de iniquorum damnatione, ad ostendendum, quanta sit Dei misericordia erga illos, dum peccata dimittit illis, quos justissimè posset damnare. Quod confirmari potest ex doctrina Augustini ibidem; nam sequitur: *factum est genus humanum tanquam massa peccatorum profluens de peccatoribus. Quid ergo? tu si massam illam iniquitatu damnes, quisquam tibi dicet, injustè fecisti? esses planè etiam hic iustus, & omnis esset ista laus tua, sed qui liberasti, & ipsum peccatorem justificando impium, adijciam super omnem laudem tuam.*

Objicies quartò: Deus est absolutus Dominus omnium creaturarum; ergo potest quamlibet creaturam rationalem, prout vult, affligere, & condemnare sine ulla injustitia: ergo Augustinus non benè probat ex afflictionibus, & miseriis, quibus atteritur genus humanum, dari peccatum originale. Respondeo distinguendo primum consequens: ergo potest quamlibet creaturam rationalem nocentem affligere, & condemnare sine injustitia strictè accepta concedo; ergo potest quamlibet etiam innocentem sic affligere & condemnare, nego consequentiam primam & secundam. *Ira quippè, inquit Augustinus l. 4. ad Bonif. c. 6. Non*

reddi-

redditur nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum. Tam longè sit, inquit S. Bernardus serm. 10. in psal. qui habitat: ab exteriori homine qualibet pœna, quam longè suis culpa ab interiori.

Responderi potest secundo, distinguendo consequens: ergo potest affligere & damnare creaturam rationalem sine iniustitia strictè dicta, concedo; sine crudelitate, quæ est vitium oppositum clementiæ, & consequenter destructivum Dei, nego consequentiam.

Instabis: Absolutum Dominium est potestas absoluta disponendi de re sua in quoslibet usus; ergo vi hujus potestatis potest Deus quamcunque creaturam etiam rationalem premere quibuslibet miseriis, pro arbitrio suo. Respondeo distinguendo antecedens: Dominium est potestas disponendi de re sua in quoslibet usus, lege non prohibitos concedo, prohibitos, nego antecedens, & consequentiam. *Lex enim incommutabilis Dei, qua, ut Augustinus ait l. 1. de lib. arbit. c. 6. Iustum est ut omnia sint ordinatissima, non permittit, ut innocenti creaturæ infligantur tantæ miseriæ: quod confirmatur ex l. 83. q. 1. quæst. 27. ubi ait: omnia hæc divina providentia pro meritis moderatur animarum, & Epist. 28. Num sicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in usus dari naturis excellentioribus etsi vitiosis, sicut apertissimè in Evangelio videmus, porcos ad usum desideratum concessos esse demonibus; hoc & de homine rectè possumus dicere? anima est rationalis in illis membris, quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus justus est, justè & sapienter Deus omnia disponit & administrat;*

strat ; sive ut Augustinus loquitur l. 3. de Trinit. c. 4. *Secundum ineffabilem justitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque republica &c.* Vel responderi potest ut supra, etsi talis dispositio non repugnet justitiæ, repugnare tamen alteri attributo.

Instabis secundò: Deus ut absolutus Dominus potest hominem annihilare ; ergo potest eundem & in hac vita, & post eam in æternum torquere pro arbitrio, etsi nullum præcesserit peccatum. Respondeo negando consequentiam. Si enim homo annihilaretur privaretur tantum beneficio indebito ; privatio autem talis non est pœna propriè dicta.

Objicies quintò: Ezech. c. 18. dicitur: *Filius non portabit, iniquitatem Patris*; ergo parvuli non contrahunt peccatum originale. Probo consequentiam: quia peccatum originale est iniquitas patris. Respondeo negando consequentiam, & ad probationem dico, parvulos non portare propriè iniquitatem Patris, sed suam per contagionem propaginis. Peccatum enim Adæ parvulis fuit voluntarium voluntate naturæ. *Gravè quidem omninò delictum illud originale, quod non solum personam infecit, sed & naturam,* inquit S. Bernardus serm. cit. de Pass. D. *etsi in alio, nos tamen peccavimus*; serm. 1. Dom. I. post Pent. Pro quo melius intelligendo notandam est, quod sicut motio manus occidentis hominem est voluntaria, non voluntate existente in manu, sed voluntate animæ, à qua manus movetur; ita peccatum originale sit voluntarium, non voluntate personæ descendens ab Adam, neque volun-

luntate personæ Adami qua talis, sed voluntate naturæ existentis in principio, à quo persona descendens naturam accepit. Voluntas enim Adæ duobus modis potest considerari, primo ut relata ad propriam personam, in qua fuit, secundo, ut relata ad personas ab Adam descendentes; si primo modo spectetur, prævaricatio ab ea orta est propria Adæ. Si secundo modo, est prævaricatio omnium, qui ab illo propagantur, cum sit voluntaria voluntate naturæ præcontinentis totam naturam. Voluit enim Adam inficere totam naturam, ideoque infectio naturæ in propagatis, prout ab illa voluntate causatur, est culpabilis etiam respectu parvulorum.

Responderi potest secundo: locum citatum ab Augustino intelligi de illis, qui sunt regenerati.

Objicies sexto: Parvuli non cognoverunt peccatum, quod Adam commisit, ergo nullam contrahunt. Respondeo distinguendo antecedens, non cognoverunt peccatum intellectu proprio, concedo; non cognoverunt alieno naturæ, in qua fuerunt contenti, nego antecedens & consequentiam.

Objicies septimo. Pœnitentia Adami non imputatur parvulis; ergo nec peccatum. Respondeo negando consequentiam; quia Adam tantum egit pœnitentiam de peccato, ut erat ei voluntarium, voluntate personæ.

Objicies octavo: Apostolus ad Rom. 5. dicit: *Per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: ergo saltem non omnes homines contrahunt peccatum originale. Respondeo primo concedendo totum.

C

Re-

Respondeo secundò: Apostolum voluisse indicare per *ly multos omnes*, singulari privilegio non exemptos, eò quòd hi multi sint.

Objicies nonò: Salomon dixit Sapient. 8. *se fuisse sortitum animam bonam*. Respondeo sortitum fuisse animam bonam bonitate indolis, non autem bonitate gratiæ, quando conceptus fuit.

Objicies decimò: Nemo peccat, nisi transgrediatur aliquam legem; sed parvuli nullam transgressi fuerunt legem; ergo non peccaverunt. Major est Apostoli ad Rom. 4. dicentis: *ubi non est lex, nec pravaricatio*. Minor etiam probatur: quia parvuli ob defectum usus rationis non sunt capaces legis, cum eam cognoscere non possint. Respondeo negando minorem. Ad cujus probationem dico, parvulos fuisse transgressos legem in Adamo. *Scivit ille*, inquit Augustinus l. 5. cont. Jul. c. 1. *quid fecerit, in quo omnes peccaverunt, & singuli malum inde traxerunt*.

Objicies undecimò: Si parvuli contraherent peccatum originale, mortui in tali peccato deberent manifestari ante tribunal Christi, sed hoc non est dicendum; ergo parvuli non contrahunt peccatum originale. Probatur minor: quia secundum Apostolum 2. ad Cor. 5. soli illi sunt manifestandi ante divinum tribunal, qui recepturi sunt propria corporis; sed parvuli nihil gesserunt in corpore; ergo. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem responderi potest primò, locum Apostoli intelligendum esse de adultis.

Responderi potest secundò: Apostolum tantum voluisse

voluisse, quod omnes relaturi sint ante tribunal Dei, quæ conveniunt statui, in quo singuli ex hac vita discesserunt, sive ipsi gesserint in corpore, sive gesta sint ab aliis, circa eos in corpore existentes. Licet autem parvuli, nec bona nec mala gesserint in corpore, fuerunt tamen ab aliis aliqua gesta circa eos in corpore existentes: quia vel Baptismus illis fuit applicatus, vel non; si non fuerit applicatus, dicetur eis: *Ite maledicti*; si fuerit, dicetur: *Venite benedicti*.

Objicies duodecimò: Si detur peccatum originale, sequitur Deum non esse authorem hominis, sed diabolum; Deum esse injustum, nuptias esse illicitas &c. Sequela probatur: quia Deus non potest esse author naturæ malæ: neque justus, si puniat homines propter delicta, quæ non commiserunt: & nuptiæ non possunt esse licitæ, per quas generatur homo malus. Respondeo negando sequelam, & ad probationem dico, Deum esse authorem naturæ, non malitiæ, sive peccati, quod ex culpa primi hominis conjungitur naturæ: & puniri homines, ob delictum, quod illis voluntarium fuit voluntate principii, à quo naturam acceperunt: neque nuptias esse malas aut illicitas, cum per se non tendant ad peccatum; neque conjuges illud cauferent, sed naturam propagent corruptam peccato primi hominis, in quo omnes peccaverunt, de quo videri potest Augustinus l. 6. cont. Jul. c. 2, 3, & 10.

Objicies decimotertiò: Apostolus ait 1. ad Cor. 7. *Filij fidelium sunt sancti*: ergo filii fidelium non contrahunt peccatum originale. Confirmatur, quia quod in fidelibus non est, non potest in filios derivari.

Respondeo distinguendo antecedens: Filii fidelium sunt sancti, sanctitate vera ac intrinseca, nego; sanctitate extrinseca, & civili, id est, sunt legitimi, sive legitimo thoro nati, vel sanctitate inchoativa, eò quòd auxilio parentum fidelium facilè pervenire possunt ad baptismum, & sic ad sanctitatem, quæ vi illius infunditur, concedo antecedens; & nego consequentiam: ad confirmationem dico cum Augustino l. 2. de peccat. merit. c. 9. 28, & 29. *Concupiscentiam in fidelibus baptizatis transire reatu, & manere actu, & quod ex hujus virtute nascitur, indigere renasci, ut sanetur.* Quod appositè explicat S. Pater exemplo oleæstri nascentis ex semine oleæ: *labrusca ex femine vitis: tritici paleati ex grano purgato; filij preputiati ex patre circumciso.*

Instabis: Ad Romanos II. dicitur: *Quòd si delibatio sancta est, & massa &c.* Respondeo, ex hoc loco olim Pelagianos, & postea Calvinum fuisse conatos probare, filios parentum fidelium esse sine peccato originali, sed frustra, cum Augustinus Epist. 106. dicat: *Alia est namque illa conspersio, de qua idem dicit Apostolus: Si autem delibatio sancta est, & conspersio: & si radix sancta est, & rami. Illa est ex Abraham, non ex Adam, id est, ex communiione Sacramenti & similitudine fidei, non ex propagine mortali. Ista verò vel conspersio vel - - - massa, quoniam tota mortis est - - - misericordia, ex illa fit aliud vas in honorem, judicio autem in contumeliam.*

Objicies decimoquartò: S. Augustinus in hac de peccato originali controversia contra Pelagianos promittentes parvulis non baptizatis vitam æternam, argumen-

gumentatus fuit, & probavit non posse illos admitti ad talem vitam, eò quòd necessaria sit ad vitam illam consequendam sumptio Eucharistiæ, allegatis istis Christi verbis ex Evangelio S. Joannis: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c.* Sed hoc argumentum fuit inefficax, imò nullum, cùm parvulis baptizatis non sit necessaria sumptio Eucharistiæ ad salutem: ergo argumenta S. Augustini in hac materia non sunt efficacia. Minor patet. Major colligitur ex variis ejus libris, præcipuè l. 1. de peccat. merit. c. 20. l. de prædest. SS. c. 13. & l. 2. oper. imperf. cont. Jul. c. 29. Respondeo negando majorem, & ad probationem dico, Augustinum efficaciter contra Pelagianos conclusisse, parvulos non posse pervenire ad illam fœlicitatem, nisi fierent participes corporis Christi per fidem, nisi fierent Christi membrum, nisi Ecclesiæ incorporarentur, nisi in Christo manerent, & manentem illum in se haberent, nisi jus haberent ad actualem corporis Christi manducationem per baptismum, ut constat ex l. 3. de peccat. merit. c. 4. ubi ait: *Quid autem apertius, tot tantisq; testimonijs divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem, ad vitam salutemq; æternam posse quemquam hominum pervenire, nec divino judicio posse aliquem injustè damnari, hoc est, ab illa vita & salute separari? unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cùm parvuli baptizantur, nisi, ut incorporarentur Ecclesiæ, id est, Christi corpori membrisq; sociarentur, manifestum sit eos, ad damnationem, nisi hoc illis collatum fuerit, pertinere.* Et ibidem: *Nunquid*

etiam illud ambiguum est; quia nisi manducaverint homines corpus ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? his atque hujusmodi alijs testimonijs divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat: non solum in regnum Dei non baptizatos intrare non posse, sed nec vitam eternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?

—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—

DUBIUM TERTIUM.

Quid sit peccatum originale, secundum Augustinum?

Peccato antiquo, inquit Augustinus, l. de mor. Eccl. Cathol. c. 22. nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hinc in explicanda natura illius non tantum hæretici turpiter errârunt, sed etiam Doctores Catholici in varias abierunt sententias: quibus omissis, hinc tantum examinabo, quid in hac gravissima controversia senserit Augustinus, quo post Apostolum nemo melius naturam originalis peccati exposuit. Procedit autem quæstio de peccato originali, prout intrinsecè afficit, & inficit personas parvulorum, ex Adam naturali generatione descendentium. Quod addo, quia interdum accipitur peccatum

ori-

originale ab Augustino pro peccato Adæ, quo infecta fuit natura, & facta massa perditionis, ut constat ex l. 16. de civit. c. 17. *Non immeritò parvulum propter originale peccatum, quo dissipatum est primum Dei testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet, &c. interibit anima illa de genere ejus, quia testamentum meum dissipavit, quando cum Adam, cum omnibus etiam ipse peccavit.* Quòd enim S. Pater ibi loquatur de actuali Adæ prævaricatione, colligitur ex vocibus, dissipatum, dissipavit, quibus actus significatur. Quo sensu etiam dicit l. 1. retract. c. 15. *Peccatum originale esse primi hominis voluntate commissum.* Similia habet epist. 107. & alibi.

Dico primò: Peccatum originale afficiens intrinsicè, & inficiens personas nascentium ex Adam, secundùm Augustinum est concupiscentia cum reatu, ita ut concupiscentia se habeat quasi materiale peccati, reatus verò tanquam formale. Probatùr prima pars: videlicet quòd peccatum originale sit concupiscentia.

Primò ex l. 2. cont. Jul. c. 10. ubi S. Pater de concupiscentia dicit: *Non est hoc malum nuptiarum, sed promorum hominum peccatum in posteros propagatione tractum.*

Probatùr secundò: ex l. 3. cont. eundem c. 21. ubi ait: *Malum originale dixi, cujus motibus mecum repugnas, & cujus contra me laudibus pugnas.*

Probatùr tertio ex l. 6. cont. Jul. c. 15. *Tale porrò, ac tam magnum malum, tantum, quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, qua fit in baptismo, remissione*

peccatorum omnium solveretur. Similia allegat S. Pater Augustinus in pluribus aliis locis contra Pelagianos.

Et hoc vult S. Bernardus, dum inquit: *Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia?* Serm. 4. super Salve R.

Idem sentit S. Thomas cum Magistro suo; nam 1 2. q. 82. a. 3. dicit: *Peccatum originale materialiter est concupiscentia.* Et q. 3. de malo, a. 7. *Ignorantia & fomes sunt materialia in originali peccato.* Similia habet q. 4. a. 2. & qu. 82. a. 1. 1. 2. dicit, quod *peccatum originale languor natura dicitur, & habitus, sicut aegritudo corporalis.* Et ad primum, quod *non sit privatio pura, sed quidam habitus corruptus &c.*

Pro confirmatione hujus doctrinæ etiam nota ex Historia Concil. Trid. conscripta à Pallavicino, quod Ordinis nostri Generalis, Cardinalis Seripandus, ut refertur l. 7. c. 8, & 9. in dicto Concilio peroraverit contra concupiscentiam etiam renatorum, & probaverit ex Augustino, *ipsam Deo displicere, non esse naturæ proprietatem, sed corruptionem, perduellionemq. naturæ, posse dici peccatum &c.* ut differt. præced. dictum est, & tandem conclusum fuerit à Patribus, quod licet concupiscentia in renatis non possit odio haberi, si odium accipiatur pro odio inimicitia, possit tamen odio haberi, si odium accipiatur pro displicentia. *Quod autem concupiscentia esset materiale peccati originalis, & consequenter post Baptismum maneret pars materialis peccati originalis, expressum erat in ipso decreto, & postea deletum fuit: seu quod nolent Patres, ut Pallavicinus*

mus ait : *Ecclesia auctoritatem intermiscere opinantium doctrinis ; seu quod , ubi definitiones concipi possent veterum Patrum vocabulis , ea nolent à Theologis recentibus mutuari.*

Nota ; Secundum S. Augustinum & S. Thomam & S. Bernardum supra, sub peccato originali comprehendendi etiam ignorantiam (quæ concupiscentiam comitatur) & malitiam, quæ nihil aliud est, ut inquit S. Thomas q. 4. de malo a. 2. ad 7. *quam destitutio ipsius voluntatis ab originali iustitia.*

Probatum secunda pars, scilicet de reatu. Primo ex l. 1. de nup. & concup. ubi ait S. P. *hujus concupiscentie reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit ; & c. 25. Respondemus dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur : quamvis à reatu suo jam soluto , manet tamen & c. 26. postquam dixisset reatum concupiscentiæ esse per Baptismum sublatum , addit : hoc est enim non habere peccatum , reum non esse peccati & c. quia nempe sublatum est reatum, qui est formale peccati, quod confirmat ibidem exemplo adulterii dicens : Si quispiam, V. G. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur & c. Habet ergo, quamvis illud, quod admisit, jam non sit, quia cum tempore quo factum est, præterit ; nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret, ut nos hoc moneret scriptura & c. Ubi clarum est, S. Doctorem non loqui de reatu pœnæ, sed de reatu culpæ, ex quo ille oritur. De quo reatu etiam loquitur l. 2. de nup. & concup. c. 24. ubi dicit, reus peccati*

peccati nasci parvulum, & l. 6. cont. Jul. c. 4. 5. 10. & 15. vocat, *reatum voluntarium voluntate Adami*, quia nempè relictus est ex actuali illius peccato; *Tabem; vinculum mortis.* in psal. 50. *vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum,* l. 1. de peccat. merit. c. 9. *pollutionem. c. 24. immunditiam &c.* Ex quibus clarum est, quod loquatur S. P. de reatu, quo homo formaliter constituitur peccator, id est, reatu culpæ, non pœnæ. Quod confirmari adhuc potest ex l. 2. de peccat. merit. c. 24. ubi ait: quod per illum reatum parvulus sit *aversus à Deo,* & l. 1. retract. c. 15. distinctè loquitur de utroque reatu dicens: *quasi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu (scilicet culpæ) implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios (id est reos reatu pœnæ) detineri, usquam esse potuerit, nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.*

Ratio hujus doctrinæ est; quia cùm peccatum originale sit species peccati habitualis, & hoc consistat in reatu sive macula post actum malum præteritum perseverante, ut exemplo adulterii supra ex Augustino ostensum est, convenientissimè constituitur peccatum originale formaliter acceptum in reatu transmissio ad nos per peccatum Adæ, quod præteriit.

Objicies: Si Augustini sententia de reatu defendatur, inciditur in errorem Pelagii, negantis parvulos affici & infici intrinsecè peccato originali. Sequela probatur: quia Augustinus vult, illum reatum tantum esse reatum pœnæ extrinsecum nascentibus; ergo intrinsecè nullo inficiuntur peccato parvuli, si in illo reatu constitua-

stituatur formale peccati originalis. Antecedens probatur; quia Augustinus l. 6. cont. Jul. c. 19. docet, reatum non esse in animo hominis, sed tantum in mentibus Angelorum, à quibus debet exigi pœna peccatorum, & esse chirographum damnationis æternæ. Respondeo negando sequelam (quæ injuriosa est Augustino) ad cujus probationem nego antecedens, & ad locum citatum ex Augustino, dico falsum esse, Augustinum ibi loqui de solo reatu pœnæ. Agebatur enim ibi inter ipsum & Julianum de reatu culpæ; Augustinus volebat concupiscentiam manere actu, & præterire reatum; Julianus sustinebat contrarium, probatque exemplo idololatriæ, scilicet, actu sacificationis præterito, manere reatum culpæ, ut constat ex his verbis: *potest, donec consequatur veniam, premi impietate commissi, & manet reatus actione finita.* Augustinus autem dicebat esse disparem rationem in actione sacrificii, & concupiscentiæ, quia hæc cum reatu est effectus peccati Adæ, est causa peccatorum nostrorum, & manet soluto reatu, quod non potest dici de actu sacrificii. Dixerat præterea Julianus, reatum idololatriæ manere in conscientia delinquentis, donec dimittatur. Ex quo intulit Augustinus contra illum, non manere reatum, si peccator illius oblitus fuerit, cum manere in conscientia sive in animo diceretur, quod ab animo cognoscebatur. Et hinc dicebat, etsi non recordaretur illius amplius peccator, permanere tamen reatum in occultis legibus Dei, *qua conscripta sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiaveris:* Est igitur secundum Augustinum

Augustinum

stinum non tantum reatus pœnæ sed etiam culpæ ob-
 jectivè in mentibus seu cognitione Angelorum. Ex
 hoc autem malè infertur, reatum illum non esse subje-
 ctivè & moraliter in animo delinquentis, donec dilua-
 tur. Angeli enim illi, in quorum mentibus esse dici-
 tur, verè cognoscunt ante remissionem tam parvulos,
 quam adultos idololatrias reos non solum reatu pœnæ
 æternæ, sed etiam reatu culpæ, qui radix est obligatio-
 nis ad pœnam, cum reus pœnæ non nisi per culpam
 homo fiat. Adde quod satis clarè S. P. distinxit rea-
 tum culpæ à reatu pœnæ, l. I. Retr. c. 15. ubi asserit,
 parvulos reatu peccati, quod ex Adam trahunt, impli-
 catos esse & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, ut jam
 dictum est supra. Falsum quoque est, quod Augusti-
 nus dixerit, reatum esse ipsum chirographum. Verba
 enim illius sunt hæc: *cujus signo crucis consecratur unda
 Baptismatis, ut ea diluatur reatus, tanquam in chirogra-
 pho scriptus, in notitia spiritualium potestatum, per quas
 pœna exigitur peccatorum.* Ubi manifestè S. P. reatum
 à chirographo distinguit, cum in illo scriptum esse di-
 cat. Respexit autem Augustinus locum Pauli dicen-
 tis, *chirographum decreti, quod Christus cruci affixit, &
 sanguine suo delevit.* Quo chirographo continebantur
 peccata, quæ delevit.

Objicies secundò, Augustinum posuisse essentiam
 peccati in concupiscentia cum reatu, quia oppressus
 difficultate rei non invenit aliud, in quo collocaret;
 ergo hæc Augustini sententia de peccato originali non
 est defendenda. Probatür antecedens, ex variis Au-
 gustini libris, in quibus ob obscuritatem & profundi-
 tatem

tatem hujus peccati, fatetur se dubium hæere. Respondeo negando antecedens, & ad probationem ejus dico, Augustinum quidem dubitasse de aliquibus ad hanc materiam spectantibus v. g. de translatione peccati sine translatione animæ ex anima, quia capere non poterat, quia justitia anima innocens misceretur carni peccati, & tanquam vinum in vitiato vasa corrumpetur, & corrupta damnaretur; sed de constitutivo peccati originalis non dubitavit, ut ex supra citatis testimoniis est manifestum.

Objicies tertio: Si peccatum originale sit concupiscentia cum reatu, sequitur peccatum originale manere in Baptizatis, sed hoc est contra fidem, ergo peccatum originale non est concupiscentia cum reatu. Minor constat ex Concil. Trid. §. 5. can. 5. sequela majoris probatur: quia concupiscentia, quæ erat ante Baptismum, non tollitur per illum, sed manet, & inclinatur ad motus & desideria illicita, ut Apostolus testatur. Respondeo negando sequelam majoris, & dico cum Augustino supra, concupiscentia in baptizatis manere quidem actu, sed transire reatu, & consequenter definire esse peccatum. Homo enim, qui ante baptismum per ejus reatum constituebatur peccator, & inimicus Dei, post baptismum non est peccator, nec inimicus, sed amicus Dei. Neque concupiscentia, quæ manet, ejus arbitrio, ut ante, dominatur. Hinc S. P. l. 14. de Civ. c. 17. eam ante baptismum comparat febri, & telo corpori infixo, post baptismum autem languori ex febre, & vulnere ex telo relicto.

Instabis: Non potest transire reatus manente concupis-

cupiscentia, si hæc sit materiale peccati originalis; ergo responsio data non subsistit. Probaturs antecedens à pari, quia in actu intrinsecè malo non potest transire reatus, manente actu, qui est materiale actualis peccati; ergo nec reatus concupiscentiæ. Respondeo negando antecedens, & ad probationem ejus dico cum S. Thoma in 2. ad Annibal. dist. 32. q. unica a. 1. ad 1. *Non est similis ratio de concupiscentia, & actu peccati actualis; nam actus actualis peccati, quamdiu manet, subiacet voluntati agentis, non autem postquam transit; concupiscentia verò dum manet, non subiacet voluntati habentis, unde concupiscentia potest manere sine culpa, non autem actus peccati actualis.* Alibi S. Doctor ponit disparitatem in hoc, quod actus peccati causet actualem maculam, concupiscentia verò non causet originalem maculam subjecti, in quo est. ita respondet in 2. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 3.

Urgebis, concupiscentia habitualis acquisita ex frequenti concupiscentia actuali non pertinet ad peccatum actuale, ergo concupiscentia nobis innata, non pertinet ad peccatum originale. Antecedens probatur; quia alioqui, qui acquisivisset talem habitum, semper actu peccaret. Consequentia probatur à pari: quia utraque concupiscentia habitualis, id est, tam acquisita, quam innata, inclinatur ad peccatum. Respondeo negando consequentiam, & ad probationem dico iterum cum S. Thoma, q. 4. de malo. a. 2. ad 4. *Nec tamen sequitur si habitualis concupiscentia positive accepta non habeat rationem peccati actualis, secundum, quod causatur ex actibus persone, quod propter hos habituales*

ualis concupiscentia per remotionem accepta non habeat rationem originalis peccati, secundum quod ex actu primi parentis causatur; quia peccatum originale non eadem ratione dicitur peccatum, qua actuale, quia actuale peccatum in actu voluntario alicujus personae consistit; & ideo quod ad talem actum non pertinet, non habet rationem actualis peccati. Sed peccatum originale est personae secundum naturam, quam ab alio traxit per originem, & ideo omnis defectus in natura prolis inventus, derivatus à peccato primi parentis habet rationem peccati originalis, dummodo sit in subjecto quod sit susceptivum culpa. Nam sicut Augustinus ait in Retract. concupiscentia dicitur peccatum, quia est à peccato facta.

Objicies quartò: Nulla concupiscentia manet in animabus parvulorum, qui sine Baptismo moriuntur; ergo concupiscentia non pertinet ad peccatum originale. Probatur antecedens, quia concupiscentia non subjectatur in anima separata. Consequentia etiam probatur, quia animae parvulorum illorum manent infectae peccato originali. Ad hoc Argumentum ab aliquibus hujus sententiae defensoribus respondetur, negando antecedens & probationem ejus; ab illis nempe, qui docent pronitatem voluntatis ad malum, sive inordinatam conversionem ejus habitualement ad bonum commutabile comprehendi sub concupiscentia, & pertinere ad materiale peccati originalis, solamque aversionem à bono immutabili ad formale, sicque in dictis animabus manere originale quoad materiale & formale. Alii negant consequentiam, & ad probationem ejus dicunt, peccatum originale in animabus separatis

ratis tantum manere quoad formale, ii nempe, qui dictam pronitatem voluntatis docent pertinere ad formale, citantes pro se S. Thomam eit. q. 4. de malo. a. 2. ad 7. dicentem: *malitia se habet in peccato originali ut formale &c.* Si dicas, sequi ex hac secunda responsione, concupiscentiam non solum ad materiale, sed etiam ad formale peccati originalis spectare, eo quod dicta pronitas voluntatis sub nomine concupiscentia à S. P. Augustino & aliis comprehendatur, facile concedent totum, intelligendo nempe per concupiscentiam fomitem omnis peccati, sive causetur ex deordinatione virium inferiorum, sive per malitiam voluntatis, quæ malitia à S. Thoma loc. cit. dicitur consistere in destitutione ipsius voluntatis ab originali iustitia. Ut dictum est supra.

Dico secundò: Reatus concupiscentiæ, qui ab Augustino ponitur formale peccati originalis, est privatio iustitiæ originalis, voluntaria nobis ex peccato Adæ, prout aufert effectum ejus principalem, id est, sanctitatem, & rectitudinem animæ in ordine ad Deum, debitam inesse. Hæc est expressa sententia S. Thomæ 12. q. 82. a. 3. ubi ait: *Privatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali --- peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis iustitiæ; & q. 3. de malo. a. 7. in peccato originali est aliquid formale, scilicet carentia originalis iustitiæ.* Et Franciscus Ferrariensis in C. 52. lib. 4. contra gent. ait: *Conveniunt omnes Thomistæ in hoc quod duo includuntur in peccato originali, unum scilicet formale quod est*

privatio originalis iustitia. Alterum verò materiale, quod est concupiscentia. Et hanc sententiam Angelus Paschalis Motulanensis Episcopus etiam Dominicanus in Concil. Trid. præsens ita defendit, ut cæteri Patres communiter assentirentur, ut testatur Cardinalis Pallavicinus l. 7 c. 8. n. 3. & 4.

Quod autem S. P. Augustinus per reatum culpæ intellexerit huiusmodi privationem, colligitur ex dictis. reatus enim ille vocatur ab Augustino, *labes, iniquitas, pollutio, immunditia, iniustitia, mors, vinculum mortis, aversio* (scilicet habitualis) à Deo &c. sed privatio iustitiæ originalis voluntaria nobis ex Adæ peccato &c. est *labes, iniquitas, pollutio &c.* ergo per reatum concupiscentiæ Augustinus intellexit privationem iustitiæ originalis. Minor probatur: quia *labes, iniquitas &c.* est quæ per baptismum tollitur, cui gratia infusa opponitur, quæ fundat dignitatem iræ & odii Dei; sed talis est dicta privatio iustitiæ; ergo illa est *labes, iniquitas, pollutio &c.* dixi: *prout auferit effectum eius principalem*; quia reatus non consistit formaliter in privatione iustitiæ originalis, quoad omnes ejus effectus, alioquin per baptismum non tolleretur totaliter, cum dicta iustitia, quoad omnes suos effectus, per baptismum non restituatur, ut patet in rebellionem carnis, sive privatione doni, quo appetitus rationi subiciebatur.

Objicies primò: Iustitia originalis etiam quoad præcipuum suum effectum non est debita inesse; ergo reatus concupiscentiæ, sive formale peccati originalis non potest constitui in privatione iustitiæ debitæ inesse. Probatur antecedens, quia si illa iustitia sit debita

D

poste-

posteris Adæ, est debita vi pacti initi cum Adamo, sed ita non est debita; ergo non est debita. Sequela majoris probatur; quia alius titulus non est assignabilis. Minor probatur etiam; tum quia tale pactum gratis asseritur, cum ab Augustino nulla ipsius mentio fiat in explicatione difficillima obscurissimæ hujus quæstionis: tum quia dato, quod præcesserit pactum, fuit conditionatum; & conditio (quæ fuit perseverantia in justitia) non fuit impleta, & consequenter nullum acquisitum jus à posteris Adæ. Respondeo distinguendo antecedens; non est debita inesse, debito se tenente ex parte Dei concedo, non est debita, debito se tenente ex parte posterorum Adæ; nego antecedens & consequentiam. Ad probationem antecedentis distinguo similiter majorem: si est debita ex parte Dei, est debita vi pacti transeat, si est debita inesse, debito se tenente ex parte posterorum, nego majorem, & concessa minore, distinguo similiter consequens; ergo non est debita, debito se tenente ex parte Dei, concedo, hominum, nego. Est enim justitia debita inesse posteris Adæ, quia sicut Adam justitiam in creatione à Deo donatam perseverando in ea & observando præceptum debebat conservare, ita & nos in ipso tunc contenti debebamus eam conservare, sed quia cum illo prævaricati fuimus, justitiâ hoc sensu debita inesse privamur, & constituimur peccatores, per privationem gratiæ à Deo infundendæ, si cum Adam, & in illo Testamentum non dissipassemus. Hoc sensu dicitur à Theologis, præsertim Scotistis, formale peccati actualis consistere in privatione rectitudinis debitæ inesse actu.

Insta-

Instabis : *Justitia originalis non fuit etiam debita inesse debito se tenente ex parte hominum nascentium ex Adam ; ergo formale peccati originalis , sive reatus concupiscentiæ non est privatio justitiæ etiam hoc modo debiti inesse. Antecedens probatur : quia si justitia originalis fuit hoc modo debita inesse , fuisset nascentibus ex Adam collata intuitu naturæ participatæ ab Adamo , cui liberaliter fuerat donata ; ergo non fuisset respectu illorum gratia, sed naturalis. Probatur consequentia : quia si fuisset sic collata , fuisset accidens consequens naturam ; ergo fuisset naturalis. Respondeo negando antecedens ; ad cujus probationem distinguo antecedens : fuisset collata intuitu naturæ, id est, exigentibus principis naturæ, nego ; id est, tanquam donum divinitus datum , toti naturæ, concedo antecedens , & nego consequentiam ; ad cujus probationem distinguo iterum antecedens : fuisset accidens consequens naturam, id est, causatum ex principis naturæ, nego ; ex liberali Dei concessione, concedo antecedens, & nego consequentiam. Hæc responsio fundatur in doctrina S. Thomæ 1. p. q. 100. a. 1. ubi ait : *Justitia autem originalis , in qua primus homo conditus fuit, fuit accidens nature speciei, non quasi ex principis speciei causatum , sed tantum sicut donum divinitus datum toti nature. Et in respons. ad secundum ait : Non fuisset per hæc gratia naturalis, quia non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim, cum habuisset animam rationalem : sicut etiam statim, cum est corpus dispositum , infunditur à Deo anima rationalis, quæ tamen non est ex traduce.**

D 2

Diceſ :

Dices : Adhuc videtur sequi ex hac S. Thomæ responsione, quod gratia fuisset naturalis. Probatur assumptum : quia anima rationalis est forma naturalis, quia infunditur corpori dispositio, licet non transfundatur per virtutem seminis; ergo etiam gratia fuisset naturalis, etsi transfusa non fuisset per virtutem seminis, quia fuisset accidens communicatum ratione propagatæ naturæ. Respondeo negando assumptum, ad probationem nego consequentiam. Anima enim infunditur, quia corpus sic dispositum naturaliter exigat talem formam; justitia autem originalis excedit exigentiam omnis naturæ creatæ & creabilis, estque gratuitum Dei donum.

Objicies tertio : Privatio justitiæ originalis supponit peccatum originale : ergo non consistit formaliter in illa. consequentia patet. Antecedens probatur : quia privatio justitiæ est pœna peccati originalis inflictæ à Deo ; ergo privatio justitiæ supponit peccatum originale. Respondeo distinguendo antecedens : privatio justitiæ originalis supponit peccatum originale acceptum, prout est infectio naturæ, sive pro actuali Adæ peccato, quo corrupta fuit natura, & constituta massa perditionis, concedo, acceptum pro intrinseca, infectione personæ, prout hic sumitur subdistinguo : privatio justitiæ originalis, quoad effectum primarium, quem justitia illa includebat, id est, gratiam sanctificantem & charitatem, supponit peccatum originale, nego, privatio justitiæ quoad alios effectus secundarios, supponit peccatum originale sic acceptum, concedo antecedens, & ad probationem distinguo eodem modo

modo antecedens; privatio justitiæ originalis est pœna peccati originalis, accepti pro actuali Adæ prævaricatione, concedo; hoc enim frequenter docet Augustinus, quod scilicet sint digni carere justitia, ob Adæ peccatum: privatio justitiæ originalis est pœna peccati originalis, qua intrinsecè inficitur persona, subdistinguo: privatio considerata in ordine ad primum effectum justitiæ, quem tollit, nego, in ordine ad effectus secundarios, concedo. Ex horum enim effectuum privatione orta est rebellio appetitus, necessitas moriendi &c. quæ manent in baptizatis, & consequenter eorum privatio non constituit peccatum originale.

Responderi potest secundo ad argumentum, distinguendo antecedens hoc modo: privatio justitiæ originali, supponit peccatum originale, si est pœna, si consideretur, ut est mala Deo & tollit subjectionem illi debitam, nego; si consideretur, ut est mala homini, & aufert illi perfectionem, quam accepisset, si in Adam non peccasset, concedo; & similiter distinguo consequens; ergo peccatum originate, non consistit formaliter in illa privatione spectata primo modo, nego; spectata secundo modo, concedo consequentiam: sicut enim gratia sanctificans potest considerari, ut est bonum Dei, & ut est bonum hominis, ita & privatio ejus: Sicque potest esse culpa & pœna, secundum diversa, & in hoc quoque sensu intelligi potest S. Augustinus, dum ait, peccatum originale esse peccatum & pœnam peccati ut l. 2. de bapt. ad Marcel. ubi dicit: *quod peccatum habitans in membris hominis sic sit peccatum, ut sit pœna peccati.*

Instabis, privatio justitiæ originalis, etiam spectata ut tollit subjectionem Deo debitam, approbatur & causatur à Deo, ob repertum in natura ab Adam propagata peccatum; ergo etiam sic spectata supponit peccatum originale, estque illius pœna. Respondeo distinguendo antecedens; causatur à Deo, si consideretur physicè, sive prout sequitur præcisè ex negatione auxilii divini, concedo; si consideretur moraliter, sive prout est volita voluntate Adami, in quo homo tanquam in principio continebatur; nego antecedens, hoc autem modo considerata tantum est reatus culpæ, sive formale peccati originalis, & supponitur à se ipsa priori modo considerata, secundum nostrum concipiendi modum, cum idè Deo posteris Adæ neget auxilium productivum justitiæ originalis, & consequenter causet illam privationem physicè spectatam, quia voluntate primi hominis, prout est voluntas naturæ, voluerunt justitia originali privari.

Dices, privatio justitiæ non potest considerari moraliter, sive prout volita, & causata voluntate Adami, nisi concipiatur esse à Deo negante auxilium productivum gratiæ, cum Deus in illo signo rationis non concipiatur dans auxilium, & non detur medium inter Deum dantem & non dantem sive negantem; ergo privatio justitiæ, etiam considerata moraliter causatur à Deo. Respondeo negando antecedens: ad probationem dico, in signo illo, in quo concipitur à voluntate Adæ causari privatio justitiæ, in quantum est subiectio ad Deum, neque concipi Deum, ut dantem, neque ut negantem gratiam, sed in signo sequenti

quenti concipi negantem gratiam, tanquam bonam homini.

Objicies quartò : Privatio justitiæ est gravissimum hominis malum : ergo est objectum misericordiæ divinæ ; ergo non est reatus culpæ originalis, cum hic sit objectum odii & iræ. Respondeo distinguendo consequens ; ergo privatio justitiæ est objectum misericordiæ considerata, ut est mala Deo, & volita voluntate capitis, nego : considerata ut est mala homini, & ut sequitur ex negatione auxilii divini, concedo consequentiam, & distinguo similiter consequens secundum : ergo non est reatus culpæ, si spectetur primo modo, nego ; si spectetur secundo modo, concedo consequentiam.

Objicies quintò : Peccatum originale consistit in aliquo positivo ; ergo privatio justitiæ originalis non est formale peccati originalis. Probatur antecedens : quia peccatum originale non consistit tantum in aversione à Deo, sed etiam in conversione ad bonum commutabile. Respondent aliqui distinguendo antecedens : peccatum originale materialiter acceptum consistit in aliquo positivo, concedunt, formaliter acceptum, negant antecedens & consequentiam. Illi nempe, qui putant, concupiscentiam esse qualitatem positivam, sed abstrahendo ab hoc. Respondeo negando antecedens : contrarium enim probatum est.

Instabis : Peccatum originale formaliter acceptum importat aliquam conversionem ad creaturam, tanquam ultimum finem, cum per illud sic acceptum homo avertatur à Deo & ultimo fine ; ergo peccatum

originale formaliter acceptum consistit in positivo. Respondeo, distinguendo antecedens. peccatum originale formaliter acceptum importat aliquam conversionem formalem & positivam, nego antecedens; virtualem & interpretativam; concedo antecedens, & nego consequentiam. Hæc enim conversio est ipsa privatio, quatenus præbet fundamentum interpretandi, quod voluntas hominis infecti peccato originali magis adhaereat bono commutabili, quam incommutabili.

Instabis secundò: Peccatum primi hominis consistebat in aliquo positivo; ergo peccatum originale voluntate illius in nos traductum etiam consistit in positivo. Probatur consequentia; quia hoc est ejusdem speciei cum illo. Respondeo distinguendo antecedens, peccatum primi hominis actuale consistebat in positivo, concedo habituale, nego antecedens, & consequentiam, ad cujus probationem nego assumptum; quia originale non est ejusdem speciei cum actuali peccato Adæ, sed cum habituali.

Dices: Si est ejusdem speciei cum habituali; ergo est ejusdem speciei cum actuali. Probatur consequentia; quia habituale & actuale Adami erant ejusdem speciei, cum respicerent idem motivum & eandem legem. Respondeo negando consequentiam, & ad probationem, distinguo assumptum: habituale & actuale erant ejusdem speciei in genere moris, concedo, in genere physico, nego.

Objicies sextò: Privatio justitiæ non potest esse voluntaria parvulis; ergo in illa non consistit formale peccati

peccati originalis. Antecedens probatur: quia non est in eorum potestate illam privationem habere, vel non habere. Respondeo distinguendo antecedens: non potest esse voluntaria parvulis, voluntate propria concedo, voluntate aliena in quantum est voluntas naturæ, nego antecedens & consequentiam.

Objicies septimò: Peccatum originale est ipsum peccatum Adæ moraliter perseverans in posteris; ergo formale peccati originalis, sive reatus concupiscentiæ, non consistit in privatione justitiæ. Antecedens probatur: quia quando Adam physicè & realiter prævaricatus fuit, posterius in ipso peccaverunt moraliter: & videtur colligi posse ex Trident. sess. 5. c. 3. ubi dicitur: *Hoc peccatum Adæ, quod origine unum est, & propagatione transfusum, inest unicuique proprium.* Respondeo negando antecedens, & ad probationem dicco, cum Augustino l. 6. cont. Jul. c. 10. *Peccatum Adæ fuisse alienum proprietate actionis, nostrum verò contagione propaginis; id est, in nos seminaliter propagatum, & consequenter à peccato Adæ distinctum, nobisque intrinsicum, ratione cujus dicitur Adæ peccatum perseverare.* Hoc autem peccatum intrinsicum est concupiscentia cum reatu, sive privatio justitiæ originalis. Et lib. 3. operis poster. contra Jul. n. 57. ait: *Quamvis malum à bono intelligentia separemus, nec id quod malum dicitur, aliquam substantiam esse credamus, tamen ab ijs, qui liberantur, non ita separandum malum putamus, ut extra sit, sed in ijs sanandum esse scimus, ut non sit.* Et ipsa Tridentini verba id satis indicant, *transfundi, propagari, unicuique inesse proprium,*

regeneratione mundari, tolli, non tantum radi, seu non imputari, &c. Dicuntur autem in ipso peccasse, in quantum pertinent ad naturam ipsius, quæ per peccatum corrupta est, ut ait Sanctus Thomas in 4. contra gent. c. 52.

Objicies octavò: Potest dari in parvulo privatio justitiæ, sive gratiæ sanctificantis, sublato peccato originali; ergo peccatum originale formaliter non consistit in privatione justitiæ. Antecedens probatur: quia si Deus parvulum elevaret ad unionem, hypostaticam, aut visionem beatificam, tolleretur peccatum originale, manente privatione gratiæ sanctificantis, ergo. Respondeo distinguendo antecedens. Potest dari in parvulis privatio justitiæ, sive gratiæ sanctificantis non connotans privationem physicam aliarum formarum sanctificantium, sublato peccato originali, concedo: potest dari privatio justitiæ connotans privationem omnium hujusmodi formarum à gratia distinctarum, sublato peccato originali; nego antecedens, & distinguo similiter consequens, ergo peccatum originale non consistit formaliter in privatione justitiæ, seu gratiæ sanctificantis connotante in obliquo, tanquam conditionem privationem physicam omnium aliarum formarum sanctificantium, nego: ergo non consistit in privatione non connotante aliarum formarum absentiam, sive conjuncta in eodem supposito illis formis, concedo.


Objicies nonò: Si formale peccati originalis, sive reatus concupiscentiæ, ut S. Augustinus loquitur, sit privatio justitiæ originalis, per quam pars hominis
 supe.

superior conjungebatur & subiciebatur Deo, homo baptizatus peccans mortaliter contrahit iterum peccatum originale; sed hoc dici non potest; ergo reatus non consistit in tali privatione. Probatum sequela majoris: quia posito peccato mortali habentur omnia peccati originalis constitutiva, videlicet concupiscentia, & privatio justitiæ originalis, per quam homo subdebatur Deo, ergo &c. Respondeo negando sequelam majoris, & dico cum S. Thoma in 2. dist. 32. qu. 1. a. 1. ad 2. *Cum omnium peccatorum mortalium genera hoc commune habeant, quod gratiam tollunt; non tamen omnium est una macula, sed diversa, secundum quod defectus gratiæ ad diversas causas refertur; --- unde non redit macula peccati alicujus, quantumcunque gratia subtrahatur, nisi per reiterationem cause. Causa autem, per quam macula originalis relinquebatur in anima, erat ipsa propagatio humanæ naturæ, quam impossibile est reiterari circa eundem hominem, & ideo macula originalis redire non potest; sed defectus ille gratiæ, qui per peccatum mortale incidit, erit macula vel luxuria, vel homicidij, & sic de alijs.*

Objicies decimò: Si concupiscentia in nondum baptizatis sit peccatum, etiam est peccatum in baptizatis, sed hoc non, ergo &c. Minor patet ex suprâ dictis, major probatur: quia in utrisque est eadem. Respondeo negando majorem; quia in baptizatis est separata à formali peccati originalis, sive reatu, id est, ab aversione illa mentis à Deo, sive destitutione justitiæ originalis, quibus in non baptizatis est conjuncta, & ideo dominatur. *Dicitur, inquit S. Thomas in 2. dist.*

dist.

dist. 32. qu. 1. art. 1. ad 4. *Fomes incensus, secundum quod ad suum formale conjungitur, quod est defectus iustitia, & remissus, secundum quod à tali defectu separatur.*



DUBIUM QVARTVM.

Quomodo secundum S. Augustinum traducatur in posteros peccatum originale?

CONSTAT ex jam dictis, rationem voluntarii, quæ est in peccato originali, desumi ex voluntate primi hominis, juxta illud Augustini lib. 6. cont. Jul. c. 9. *Hoc malum non ab illa prima institutione natura, sed à primi hominis mala voluntate sumpsit exordium.* Sed explicare, quomodo peccatum illud in posteros transfundatur, hoc opus, hic labor. Hæc enim difficultas gravissima etiam summum Augustini ingenium non parum torisit. Urgebant enim continuo Pelagiani, non posse sine impietate asseri, Deum animam peccatricem creare, hoc autem sequi, si parvuli nascantur in peccato originali, cum nulla rima possit assignari, per quam intret peccatum in animam solam capacem peccati, si ea creetur, cum corpori unitur, cum nec unio, nec corpus, cui unitur, sit infectum peccato. Sic ratiocinabantur contra Augustinum acutissimi hæretici, & cona-

conabantur evincere, non transfundi in posteros primi hominis peccatum originale. Licet autem Augustinus inhaereret constanter doctrinae suae de transmissione peccati, siue crearentur, siue traducerentur animae, & rimam quaerenti Juliano responderet lib. 2. de nupt. & concup. c. 28. *Quid quaeris latentem rimam, cum habeamus apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, peccatum in mundum intravit.* Et lib. 3. cont. Julian. c. 3. *Profecto aut utrumque vitium de homine trahitur (quod dicendum fuisset, si anima cum corpore traduceretur) aut alterum in altero tanquam in vase vitiato corrumpitur, si nempe animae crearentur; & & quamvis etiam de immortalitate animae non dubitaret S. P. illud tamen argumentum de modo propagationis, si anima crearetur à Deo, fuit illi visum adeo difficile, ut vix sibi persuadere potuerit, animas creari ex nihilo, quia capere non poterat, qua justitia anima creata innocens, immunis ab omni peccato mitteretur in carnem peccati, & premeretur tantis malis, ut patet ex Epist. 28, & 157. l. 2. de orig. animae. c. 3. & c. Hinc licet S. Pater neutri sententiae firmiter adhereret, juxta illud lib. 10. de Gen. ad litt. c. 21. *Ego adhuc inter utrosque ambigo, & moveor aliquando sic, aliquando autem sic.* Ibidem tamen cap. 23. visa fuit illi probabilior sententia de animarum propagatione. Examina- tis enim utriusque sententiae fundamentis, sic conclu- dit: *His igitur, quantum pro tempore potuimus, pertra- ctatis, omnia paria, vel pene paria ex utroque latere ra- tionum, testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia, qui animas ex parentibus creari putant,*
de*

de baptismo parvulorum præponderaret, &c. Sed non ita præponderavit dicta sententia, ut Augustinus desineret dubitare. Licet enim Bellarminus asserat, S. Patrem in libris compositis post libros de Genesi ad litt. apertissimè refellisse sententiam de traduce animarum, præsertim in Epist. citata 157. ad Optatum, in qua ait, *sententia Tertulliani, qui animarum propagationem defendit, nihil dici posse perversius, & quod Authores sententiæ de traduce animarum, propaginem animarum inconsideratâ temeritate defendant; sed contrarium eruditè probat P. Norisjus ex ipsa etiam proximè citata Epistola, in cujus initio recitata utraq; opinione ait S. Pater: Quarum autem rerum atque causarum ratione permovear, ut in neutram assertionem meum inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem.* Et in lib. de orig. anim. post citatam Epist. composito, cap. 16. de traduce animarum dicit: *Ego nec defendo, nec refello.* Refellit quidem ibidem utriusque sententiæ argumenta, sed in eum finem, ut utriusque incertitudinem demonstraret. Neque obstat, quod opponitur de perversitate sententiæ Tertulliani, quia hic putavit animam esse corpoream, & corpulentis, ut Augustinus ait, *seminibus exoriri.* Contra cuius sententiæ defensores disputat S. Pater lib. 7. de Genes. c. 9. & lib. 10. c. 25. *Incredibilius dogma vocat:* Nunquam autem de hoc modo propagationis dubitavit, sed, *verum incorporeum semen anime sua quadam occulta & invisibili via seorsum ex patre currat in matrem, cum sit conceptus in semina,* dubitavit, ut patet ex cit. Epist. Unde etiam citato libro de Gen. c. 10. ait: *Per semen quippe*

quippe concumbentis patris transfundi etiam semen anime volunt. Et ibidem cap. 7. de materia spiritali disputat, & citata Epist. proponit difficultates insurgentes, admissio illo semine seu materia spiritali, ex quo anima fiat, iudiciumque suspendit. Perseveravit igitur in dubio, usque in finem vitæ, & ob easdem difficultates in Ecclesia Occidentali plures alij Patres Augustinum secuti per plura sæcula, ut refert & probat P. M. de Noris in vind. c. 4. §. 3. & Natalis Alexander in hist. sæculi V. de animæ origine dubitarunt, etsi immortalem esse assererent. Quod illis vitio verti non debet, cum viri prudentis sit, ob occurrentes graves dubitandi rationes suspendere iudicium. Nono sæculo adhuc quibusdam Patribus visa fuit dubia de animarum origine sententia, ut constat ex S. Prudentio Episcopo Tricassino, qui lib. de prædest. adver. Joannem Erigenam c. 6. ait: *Nascitur de carne caro; sed utrum & anima similiter de anima nascatur, magna questio est, & à Patribus diu, multumque discussa, sed absque certa definitione relicta.*

Respondeo & dico, Causa, radix, tradux & vehiculum peccati originalis, quo inficiuntur posteri Adæ, est concupiscentia. Est indubitata Augustini sententia, ipsis etiam Augustini adversariis pelagianis fatentibus, qui ideo pertinaciter negaverunt, concupiscentiam natam esse ex peccato Adæ, sed esse proprietatem naturæ bonam dicebant. Hanc sententiam S. Augustinus lib. 5. contra Julia. c. 11. numerat inter veritates catholicas antiquitus traditas, quibus asserit impiam novitatem suffocari.

Pro-

Probaturs conclusio ex locis Augustini tam claris, ut homini non præoccupato sola illorum lectio sufficiat. Primò ex lib. 1. de nupt. & concup. c. 32. Hac, inquam, concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum traicit in posteros.

Probaturs secundò ex lib. 2do de nupt. & concup. c. 34. Proles verò eorum, quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illa oliva, quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit. Probaturs tertio ex lib. 1. cont. Juli. c. 8. Quod malum, inquit, nascentes trahunt de vitio natura. Probaturs quarto ex lib. 2. cont. Jul. c. 4. Ex hac lege peccati repugnante legi mentis eandem legem prima nativitate nemo non traxit, quia nisi ex illa mulier nulla concepit.

Probaturs quintò ex lib. 5. cont. Iul. c. 15. Hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali. Adde illud Enchirid. c. 26. Adam stirpem suam, quam peccando in se et inquam in radice vitia verat, pœnâ mortis & damnationis sic obstrinxit, ut quidquid proles ex illo, & simul damnata, per quam peccaverat, conjugis, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum &c. Similia habet in aliis libris. Hinc S. Bernardus vocat Concupiscentiam hereditariam, & legem peccati originaliter membris insitam, quæ voluntas gravatur, quia per illam seminatur, & illam trahimus, & per illam peccatum.

Con-

Consonat Magistro suo S. Thomas in 2. ad Annibald. dist. 31. art. 1. dicens: Hoc peccatum proprie est peccatum naturæ, nec respicit personam, nisi mediante natura. Persona enim primò infecit naturam, sed postmodum natura infecit personam. Vnde secundum hoc peccatum originale ad prolem devenit, secundum quod ad eam pervenit natura humana. Hoc autem fit per translationem corporis, in quantum corpus cum libidine seminatur. Vnde & transductio originalis peccati fit per translationem corporis, cum libidine seminatur. Et lect. 1. in c. 14. Job: Semen quidem hominis immundum est, non secundum naturam, sed secundum concupiscentiæ infectionem, &c. Et 1. 2æ qu. 82. a. 4. ad 3. Libido, quæ transmittit peccatum originale in prolem, non est libido actualis, quia dato, quod virtute divina concederetur, quod nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret in prolem originale peccatum, sed libido illa intelligenda est habitualiter. Similia habet qu. 81. art. 1. ad 2. & 3. cit. lib. & art. ad Annibald. ad 1. dicit, Quod licet in semine non possit esse culpa, sit tamen ibi aliqua infectio ex libidine causata, quæ est principium culpæ, sicut in semine leprosi non est lepra, sed aliqua corruptio, quæ est principium lepræ.

Sæpè etiam S. Augustinus utitur similitudine desumpta à podagra, aliisque corporis membris, qui in proles propagantur, ut lib. 2. oper. jam perfecti c. 87. lib. 6. cont. Julian. c. 18. lib. 2. de nupt. c. 43. &c. & ab arboribus correctis germina vitiosa producentibus, ut lib. 1. de nupt. c. 19.

Ut autem melius intelligatur, quomodo hæc peccati

E

cati

cati transfusio fiat, servit illud S. P. Augustini l. 3. de peccat. merit. c. 7. In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illi insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes illi unus fuerunt, &c. quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat. Et illud l. 5. cont. Julian. c. 4. Ut ergo & anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur renascendo emendetur, profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam vitioso vase corrumpitur, ubi occulta justitia divina legis includitur. Licet autem in semine non sit anima, est tamen in illo virtus dispositiva corporis, ad animæ receptionem. Sicut licet pes, qui est subjectum podagræ, non sit in semine, est tamen in illo virtus formativa membrorum, & dispositiva ad animam, & hinc podagricus gignit podagricum. Consonat S. Thomas 1, 2æ qu. 81. a. 1. in Corp. ubi ait: *Alia via procedendum est, dicendo, quod omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente accipiunt, secundum quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, & tota communitas quasi unus homo. Sicut ergo Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo; sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate anima, quæ primò movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum*

dum se us divisa à corpore, sed imputatur ei, in quantum est aliqua hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic à primo parente in posteros derivatur, dicitur originale: sicut peccatum, quod ab anima derivatur, ad membra corporis dicitur actuale. Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid istius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hac personæ recipit naturam à primo parente: unde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephes. 1. Erantus naturæ filii iræ. Hanc doctrinam olim in Concilio Trid. ab hujus Doctoris discipulo supra laudato Episcopo Paschali Dominicano fuisse appositè applicatam refert Card. Pallav. in historia Trid. lib. 7. c. 8. nu. 5. Appositè, inquit, explicavit Paschalis similitudinem à S. Thoma mutuatus. Quemadmodum enim nostra membra, quamvis libertatis & rationis expertia, dicuntur ex eo delictum patrare, quod ad operis illiciti deformitatem moventur ab imperante animi facultate, quæ in eo peccat: non aliter infantes, quanquam nihil voluntariè de se commiserint, unde in eo statu tot bonis vacuo, & nec hominis fini, nec debite Deo subiectioni consentaneo nasci deberent, dicuntur tamen in Adamo peccasse, quatenus

is, qui naturam humanam in sua fecunditate integrè continebat, suaq; in electione bonum, malumve illius naturæ statum effecit per voluntarium delictum, ut universa sui generis posteritas, cum ea macula, eaq; perverſione nasceretur. Atque ad hoc clariùs exprimendum, S. Thomæ pariter adduxit, ubi adnotat, in Adamo ab ipsius peccati macula naturam contaminatam, contra verò in nobis à natura macula nos ipsos contaminari. His adde illud, quod docet S. Thomas qu. 3. de potentia, a. 9. ad 3, & alibi, videlicet animam ex hoc infici, quòd fiat cum carne à parente traducta, una natura non quasi corpore agente in animam, sed per quandam collimitationem unius ad alterum, quia forma recipitur in materia secundùm conditionem ipsius materiae. Vnde ex hoc ipso, quòd corpus illa virtute privetur, quâ perfectè erat subijcibile animæ, sequitur etiam, quòd anima illa virtute careat, quæ perfectè subditum corpus regat, & talis defectus originalis iustitiæ culpa est natura, prout consideratur consequens ex voluntate alicujus habentis naturam, ex quo natura traducta est.

Dices : Peccatum non est magis in femine, quàm in sputo, secundùm S. Anselm. lib. de concept. origin. c. 7. ergo non potest femine mediante transire in animam. Distinguo antecedens; non est in femine actu, concedo; non est virtute, in quantum est principium generationis humanæ, non valens naturam producere, cum iustitia originali, sed ea privatam; nego antecedens, & consequentiam.

Instabis: Semen corrumpitur, dum foetus generatur. Distinguo assumptum: corrumpitur, quoad corpulenta-

pulentam materiam, concedo; quoad virtutem formativam, nego. hæc enim inclusa in semine est, & manet corpore formato, fitque corporis vegetativa, secundum S. Thomam cit. qu. & a. de 101. ad 16. & a. 11. ad 8.

Dices secundò: Hæc doctrina est difficilis intellectu & intricata. Respondeo hoc verum esse, aliàs non ita torfisset ingeniorum monstrum S. Augustinum. Qui non intelligit, dicat cum eodem S. Patre Epist. 167. juxta noviss. edition. aliàs 29, dum interrogatur: *Cùm quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quàm suffocaret, ne loqueretur, accessit alius, & eo viso miserans ait. quomodo huc cecidisti? at ille: Obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberares, non quomodo huc ceciderim, quæras. Ita quoniam fatemur, & fide catholica tenemus de reatu peccati tanquam de puteo, etiam parvuli infantis animam Christi gratia liberandam, satis est ei, quòd modum, quo salva sit, novimus, etiamsi nunquam, quomodo in malum illud devenerit, noverimus.*

Colligitur ex hac doctrina, de transfusione peccati originalis, per concupiscentiam, non esse necessariò recurrendum ad pactum sive conventionem initam inter Deum & primum hominem, de danda aut neganda posteris justitia originali, & vi cujus hi in ipso constituentur, nisi aliquis per pactum intelligat decretum, quo Deus conformiter naturæ rerum decrevit, ut Adam esset caput totius generis humani. Posterii enim non fuerunt in primo homine, propter hujusmodi arbitrariam conventionem, aut pactum, sed propter ge-

nerationem carnalem, qua ab illo tanquam fonte profuunt, & sicut vitiato fonte vitiatur omnis aquæ canalis; ita vitiata natura primi hominis, vitiantur illi tanquam in suo fonte sive principio, in quo continebantur independenter ab omni pacto, eo ferè modo, quo manus, ut S. Thomas loc. proximè citato, id est, qu. 81. a. 1. in Corp. ait, ex natura rei incurrit peccatum voluntatis, à quâ movetur tanquam primo principio motivo hominis, quod non incurreret, si consideraretur secundùm se, ut divisa à corpore. Qua de causa S. Augustinus cum urgeretur à Pelagianis, ut ostenderet, quomodo peccatum originale à parentibus fidelibus posset traduci in filios, nunquam recurrit ad ullum pactum, sed semper ad concupiscentiam æstuantem, etiam in concubitu fidelium, sicque traducentem in prolem peccatum adeo, ut admitteret non contracturos peccatum originale illos, qui per concupiscentiam non gignerentur, ut patet ex Epist. 89. Proinde isti, quem fortè invenerint infantem, non ex illius unius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum. Si autem Augustinus hujusmodi pactum initum agnovisset, non fuisset opus recurrere ad concupiscentiam, eò quòd pactum illud extenderit se ad omnes, sine respectu ad concupiscentiam, sicque facilè respondere potuisset, idèd parvulos contrahere peccatum originale, quia essent filii Adami, & per pactum in ipso constituti, sive voluntates eorum positæ à Deo per pactum in voluntate illius, ita, ut si ille peccaret, etiam hi peccati fierent rei, sive gignerentur.

nerentur per concupiscentiam, sive non, etsi non peccaret, Deus obligaretur infundere his quoque justitiam. At si ita respondisset, æquè facile Adversarii pactum illud negassent, & fortè intulissent ex hoc sequi, quòd Deus parvulos fidelium per propriam voluntatem formaliter aut virtualiter constituat peccatores, eò quòd seclusa concupiscentia nullum vitium sit in generantibus fidelibus & sanctis, sicque non pateat ulla rima, per quam posset in animam pervadere peccatum. Adde S. Thomam etiam de tali pacto non meminisse.

Objicies, si peccatum, quod Adam commisit, mediante vitioso semine transfundatur, quemadmodum podagra & lepra transfunditur, sequitur, etiam aliorum parentum peccata transfundi in filios, quia est par ratio; sed hoc dici non debet; ergo non sic transfunditur peccatum originale. Respondeo negando sequelam & probationem ejus. Sic olim argumentatus fuit Julianus contra S. Augustinum lib. 6. operis perfecti c. 21. dicens: *Vide interrogatio nostra quanta sit brevitas & lucis, si peccatum quod Adam commisit voluntate susceptum est, & potuerit fieri naturale, cur hæc, quæ sunt quotidie peccata, quæ voluntas orimiosa committit, in deformitatem & præjudicia seminum non congeruntur? Quod si ista non minus atrociora, quam plura, ingenerari nequeunt, qua lege, qua conditione, quo privilegio illud solum vindicatur ingentum, si unius generis peccata sunt, quæ novimus, quæ lex arguit, quæ æquitas punit, & illud primi hominis, quod voluntate commissum, & æquitate punitum est?* Responderet S. Augustinus, & assignat

signat disparitatem: Sicut poena humanarum miseria-
rum, quas communiter perferunt filij Adam à die exitus
de ventre matris eorum, ideò sunt omnium, quia parentes
communes sunt omnium, de quorum pravaricatione ista
venerunt; ita ipsorum duorum pravaricatio tam magnum
peccatum debet intelligi, ut posset omnium ex viro & mu-
liere nascentium in deterius mutare naturam, & com-
muni reatu tanquam hereditarij debiti obligare chirogra-
phum: Quisquis ergo dicit, talem conditionem quorum-
libet delictorum, quae nunc committuntur, esse debuisse,
qualis fuit conditio delicti illius, quod in illius vita tanta
felicitate & tanta non peccandi facilitate commissum est,
etiam ipsas duas vitas debet aequare, eam scilicet, quae
nunc agitur. & eam; quae in illis sanctis & beatis delictis
agebatur. Quod si esse stolidissimum cernis, desine de pec-
catis praesentis saeculi velle praescribere, ne illud magnum
peccatum habeat suam vim, & suum meritum singu-
lare.

Hac est igitur disparitas, quod magnum illud pec-
catum non solum nocuerit personae primorum paren-
tum, sed omnium ab ipsis descendendum mutaverit
naturam, cauendo in omnibus privationem iustitiae
originalis, omnibus communis; alia verò noceant
solis personis subtrahendo gratiam sanctificantem ipsis
solis datam. Idem ob eandem rationem sentit S.
Thomas lect. 3. Rom. 5. dicens: Licet primum pec-
catum primi parentis per originem traducatur in posteros,
alia tamen eius peccata, vel etiam aliorum hominum in
filios non traducuntur, quia per solum primum peccatum
sublatum est bonum natura, quod erat per originem na-

tura

tura traducendum. Per alia verò peccata subtrahitur bonum gratiæ personalis, quod non transit ad alios posteros. Idem docet in pluribus aliis scriptis. Pro quibus melius adhuc intelligendis.

Notandum, quod licet per libidinem proximorum reatum peccatum originale transeat in posteros, non tamen illa possit inficere prolem peccato, nisi in quantum consequitur ex voluntate mala primi parentis, & quamvis peccatum proximi parentis sit propinquius proli, quam primi parentis, natura tamen ab Adamo solo infecta est propinquior, quam parens proximus. Quando autem dicitur ante circumcissionem filios fuisse damnatos propter infidelitatem parentum, non est sensus, quod infidelitatis peccatum fuerit in illos transfusum, sed quod ob infidelitatem non receperint remedium peccati.

Colligitur secundò. Peccatum primi hominis non transire in posteros per modum demeriti, sed per modum traductionis consequentis traductionem naturæ ut inquit S. Thomas in 2. dist. 20. quæst. 2. a. 3. ad 3. *Quia non unius personæ actus toti naturæ mereri vel demereri potest, nisi limites humana natura transcendat, ut patet in Christo &c. Hinc etiam per pœnitentiam vel quodcunque primi hominis meritum non potuit tota natura reparari. Ut docet S. Doctor opusc. 3. c. 198. Unde quando qu. 4. de malo a. 1. ad 18. dicit: Adamam habuisse rationem causæ universalis, & ita per ejus actum fuisse corruptam totam naturam humanam, quæ ab ipso propagatur; vult tantum habuisse rationem causæ uni-*

versalis, in quantum omnes (nisi per privilegium excipiantur) ab ipso descendentes per generationem contrahant peccatum originale.

Colligitur tertio, justificationem parentum non impedire transfusionem peccati originalis, in parvulos ab illis descendentes, quia illa non liberat à concupiscentia parentes, neque semen ab infectione, licet concupiscentia in illis non habeat veram & propriam rationem peccati.

Colligitur quarto, quod si Adam non peccasset, & aliquis ex posteris ejus peccasset, hujus filii cōtraxissent peccatum originale: & hæc quoque est sententia S. Thomæ in 2. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 3. ubi ait: *In quocunque autem homine fuisset inventa natura integra, per peccatum ipsius poterat corrumpi in eo, & in his qui ab eo descenderent*: Et q. 5. de malo a. 4. ad 2. *Si ergo aliquis ex posteris Adæ peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit; sed posterii ejus morerentur propter peccatum originale.* Ratio est insinuata supra: quia sicut justitia originalis fuit donum collatum toti naturæ, ita peccatum, per quod tollebatur illud donum, debebat esse vitium naturæ; sed, si Adamo non peccante, aliquis ex posteris peccasset, fuisset sublatum tale donum, videlicet justitia originalis transfundenda in descendentes, ergo etiam transfusum fuisset peccatum.

Neque obstat, quod de facto Adamus solus fuerit caput suorum posterorum, & justitia illi collata fuerit, ut donum naturæ, quia si ille non peccasset, singuli fuissent

fuiſſent caput ſuæ poſteritatis, ita ut, iis deficientibus, in-
ficerentur poſteri eorum, ob communicatam naturam
infectam, per peccatum, quo deſtructa & perdita fuiſ-
ſet libere juſtitia ab Adamo juſto accepta & à poſteris
recipienda, ſi proximus parens etiam non peccaſſet,
tanquam naturæ donum, donec aliquis peccaret.

Dices: Modo, non obſtante juſtitia proximi paren-
tis, tranſit peccatum Adæ in poſteros illius; ergo in
dicto caſu pariter non obſtitiffet peccatum proximi
parentis tranſuſioni juſtitia ab Adamo. Reſpondeo
negando conſequentiam; quia modo proximus pa-
rens juſtus non liberatur ab infectione naturæ per ju-
ſtitiam: in noſtro autem caſu proximus parens per pec-
catum infeciffet naturam integram.

Quæres. An omnis peccati radix ſit concupiſcen-
tia & ignoran. ? Ante reſolutionem

Nota, voluntatem humanam tentari & ad pecca-
tum incitari mediante ſenſibus hoc modo: Primò
movenitur à bonis ſenſibilibus ſenſus externi, & in iis
excitata apprehenſio excitat in imaginativa imagina-
tionem, & hæc in appetitu ſenſitivo commotionem,
hæc perturbat phantaſiam: deinde phantaſia turbat
intellectum, qui ab ea ſumit ſpecies, quarum auxilio ju-
dicat de rebus ſenſibilibus, perturbato intellectu per-
turbatur voluntas, & conſentit delectationi malæ.
Hunc tentandi modum explicat S. Auguſtinus ſimili-
tudine petita à ſerpente, qui mulierem decepit in Para-
diſo l. 2. de Gen. contra Manichæos c. 14. *Etiã
nunc, inquit, in uno quoque noſtrum nihil aliud agitur,*

cura

cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in istis tribus, serpente, muliere & viro. Nam primò sit suggestio, sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo: quæ suggestio cum facta fuerit, si cupiditas non moveatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi mulieri jam persuasum erit, sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refranat atque compescit. Quod cum sit, non labimur in peccatum; sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat & quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de paradiso expellitur. homo jam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum, quoniam rea tenetur conscientia.

Nota secundò. Non semper voluntatem provocari à motibus concupiscentiæ, ad peccandum. Non enim semper, inquit S. Pater Augustinus lib. 3. cont. Jul. c. 19. Est desiderium contra quod pugnemus, sed si tunc non est, quando occurrit, quod concupiscatur, sive animo cogitanti, sive sensibus corporis, fieri potest, ut insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota, sicut inest timiditas homini timido, & quando non timet.

Respondeo ad quæstionem. Omnis peccati radicem esse concupiscentiam & ignorantiam. Est manifesta S. Augustini doctrina. Probatum primò ex lib. 2. de peccato merit. & remiss. c. 17. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectant. Tanto enim quicunque vehementius volumus,

lumus, quanto certius, quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Probatur secundò ex Enchr. ad Laurent. c. 81. Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus: quarum illud ignorantia malum est, hoc infirmitas. Probatur tertio ex lib. de perfect. justit. c. ult. Non offendit, nisi cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem appetendo, vel vitando faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens, sive prevalens persuadet.

Ex his clarè constat secundum Augustinum radicem & fontem omnium peccatorum esse concupiscentiam & ignorantiam.

Obicies primò: Augustinus in aliis locis docet, quod omnia peccata oriantur ex concupiscentia; ergo sibi contradicit in locis proximè citatis asserens, concupiscentiam & ignorantiam esse radicem peccatorum. Antecedens probatur primò ex serm. 6. de verb. Apost. c. 1. ubi ait: *Quidquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione.* Secundò ex illo Epist. 29. ad Hier. *Si omnes ibi essent virtutes, nullum esset vitium: si nullum vitium, nullum omninò peccatum. Quis autem sine aliquo peccato? quis ergo sine aliquo vitio, id est fomite quodam, vel quasi sine radice peccati.* Tertio ex illo l. 22. contra Faustum, c. 28.

c. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.*
 Quartò ex illo l. de spirit. & lib. c. 4. *Neque enim ul-
 lum peccatum nisi concupiscendo committitur.* Similia
 habet l. 6. cont. Jul. c. 15 & alibi ergo.

Respondeo negando consequentiam. Ideò enim
 S. Pater in loc. cit. & alibi in assignanda radice pecca-
 torum tantum concupiscentiæ mentionem facit, quia
 hæc ignorantiam comitatur, & causat. Qua de causa
 concupiscentia ab Augustino *fallens & cæca* appella-
 tur.


Objicies secundò: Si omne peccatum oriatur ex
 concupiscentia vel ignorantia, falsa est doctrina S.
 Augustini asserentis concupiscentiam & ignorantiam
 esse pœnam peccati. Respondeo negando seque-
 lam, quia conclusio non est intelligenda de homine
 innocente, sed lapsò. Homo enim innocens peccan-
 do in se produxit concupiscentiam, eandemque me-
 diante semine per generationem transfudit in poste-
 ros, quorum voluntas ab ea continuò sollicitatur ad
 malum, & vincitur, nisi à Deo fortior justitiæ amor in-
 spiretur & infirmitas sanetur.

Objicies tertio: Decrepiti senes peccant, in qui-
 bus concupiscentia est omninò extincta; ergo non
 omne peccatum in hoc statu naturæ lapsæ potest oriri
 ex concupiscentia. Respondeo negando antecedens
 & dico cum Augustino serm. 43. de verb. Dom. c. 9.
*Non quod volumus, facimus. quare? quia volumus, ut
 nulla sint concupiscentia, sed non possumus - - - premuntur
 nondum extinguuntur - - - ergo quamdiu hic vivitur, fra-
 tres,*

res, sic est; sic & nos qui senuimus in ista malitia, minores quidem hostes habemus, sed tamen habemus. Fatigati sunt quodammodo hostes nostri jam etiam per aetatem; sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscunque motibus infestare senectutis quietem. acrior pugna juvenum: novimus eam; transivimus per eam.

FINIS DISSERTATIONIS SECUNDÆ.





DISSERTATIO


TERTIA,

AD MENTEM

S. P. AVGVSTINI, &c.

De Peccati Primi Homi-

nis Pœnis, præsertim IGNORAN-
TIA, & cum hac VERSATILIS
PROBABILITATIS (quæ RADIX
fuit proscriptarum à Summis Ponti-
ficibus propositionum) connexionem.



D V B I V M,

*Quænam sint pœnæ per primum hominis pec-
catum in nos derivata, & effectus illa-
rum in hac vita?*


Dico in hac vita, quia in Dissert. de Prædestina-
tione & Reprobatione egi de pœnis subeun-
dis post hanc vitam ob peccatum originale

A

NON

non remissum; & probavi ex S. Augustino, parvulos subituros pœnam levissimam signis. Respondeo & dico, ex præcedentibus dissertationibus satis constare, quæ pœnæ & plagæ inflictæ fuerint, per peccatum primi hominis posteris ejus. Probatum enim fuit ex pœnis, quas homines patiuntur in hac vita, & præcipuè ex concupiscentia & ignorantia, quæ etiam in renatis manent, dari peccatum originale. Ex his autem tanquam radicibus pullulant varii effectus, videlicet, inclinatio ad bona sensibilia contra rectam rationem, difficultas, torpor, languor in appetitu sensitivo, & rationali, pravæ consuetudines, errores intellectus, tam practici, quàm speculativi, voluntarii, & involuntarii, &c. De concupiscentia latè actum est in præcedentibus dissertationibus, ad mentem S. Augustini; de ignorantia etiam sat fusè tractatum quidem fuit in speciali dissertatione, & de vagæ probabilitatis connexionne cum illa, quam typis mandari curavi, Anno 1679, occasione desumpta, à damnatis tunc ab Innocentio XI. propositionibus; sed cum hujus Dissertationis exemplaria omnia fuerint distracta, & varia à variis contra dictam dissertationem fuerint opposita, visum fuit expediens, ut ea, quæ in illa de ignorantia invincibili & vincibili, vaga que probabilitate tradidi, pluribus confirmata, iteratò prælo committerentur, & dissertationibus præcedentibus, ob materiæ connexionem, conjungerentur. Omissio igitur brevitatis causâ dictæ dissertationis præmio (in quo referebantur propositiones à Pontificibus damnatæ, §. 4. recensendæ, & specialiter impugnandæ) & responsione ad dubium

bitum de radice damnatarum &c. (quam intelligere
volentibus satis exposui, & probavi, tam in Paragra-
phis tunc editis, & modo repetendis, quam in præfa-
tione dissertationis de essentia prædestinationis &c.)
his inquam omissis, subsocio Paragraphos in priori dis-
sertatione contentos, jam auctos, & pluribus confir-
matis, signanter secundum, tertium, quartum, &
quintum.



PARAGRAPHUS PRIMUS.

*An omnis ignorantia invincibilis excuset à peccato
secundum Augustinum?*

INter vitæ hujus miseras non minima est profunda
& periculosa agendorum & fugiendorum igno-
rantia, & pœnalis cœcitas, quam habitans in excel-
sis in silentio Deus solus magnus lege infatigabili, ut Au-
gustinus ait lib. 1. Confess. c. 18. *spargit super illicitas
cupiditates.* Dati autem peccata ignorantiae, nemo
dubitare potest. Id enim sacra Scriptura, & sancti
Patres testantur. Audiamus S. Augustinum lib. 1.
pe peccat. merit. c. 36. dicentem: *An nullum est igno-
rantiae malum, & ideo nec purgandum? & quid ait illa
vox: Delicta juventutis meae, & ignoran-
tiae meae ne memineris? etsi enim damnabi-
liora peccata sunt, quae à scientibus committuntur, ta-
men*

men si ignorantia peccata nulla essent, hęc non legeremus, quod commemoravi: Delicta juventutis meę, & ignorantia meę ne memineris?

Solet dividi ignorantia à Scholasticis primò in invincibilem, & vincibilem. Invincibilem vocant, quę nulla industria, aut studio humano superari potest; sive, quę nullo modo est voluntaria. Vincibilis dicitur, quę adhibite studio & diligentia potest vinci, sive quę aliquo modo est voluntaria, videlicet vel per se, vel per accidens, secundum S. Thomam quęst. 3. de malo, a. 3. estque semper peccatum, si sit eorum, quę aliquis scire tenetur. quod addo; quia si scire non teneatur, dicitur potius nescientia, quàm ignorantia, vel ignorantia negationis, ut alii loquuntur. Per se dicitur ignorantia voluntaria, quando aliquis vel directè vult ignorare scientiam, ne retrahatur à peccato; vel indirectè, quando non adhibet studium ad cognoscendum ea, quę cognoscere debet, idque vel simpliciter, & secundum omne tempus, vel in aliquo casu, ut loquitur S. Thomas. Per accidens dicitur voluntaria, quando aliquis directè, vel indirectè vult aliquid, ad quod sequitur ipsum ignorare. Sic ebrius vult superflue vinum bibere, per quod privatur usu rationis, & aliqui negligunt repellere insurgentes passionis motus, qui per crescentes ligant rationis usum in particulari eligibili. Divisio ignorantia, quã ab Augustino dividitur in ignorantiam secundum necessitatem & voluntatem, sive in ignorantiam volentis,

lentis, & non potentis intelligere; & potentis, sed non volentis, posset videri coincidere cum præcedente, sed spectatâ mente S. Patris, est diversa. Necessitas enim duplex est; nempe absoluta, & ex suppositione. Absoluta tollit omne voluntarium: non verò necessitas ex suppositione. Si enim causa suppositionis sit voluntaria, est ignorantia voluntaria. Talis ignorantia, sive mentis cæcitas est, quam causat inordinatus creaturarum amor, quæ non tam studio, quàm mutatione amoris vincitur: nisi enim amor perversus mutetur, non potest intellectus nisi erroneum de rebus agendis formare iudicium. Unde in hac ignorantia miscetur involuntarium voluntario. Ratio voluntarii provenit à causa voluntaria, id est, ab amore inordinato libero, qui causat errorem, quo præveniente liberè concludit intellectus, hîc & nunc esse operandum. Involuntarium in hoc consistit, quòd necesse sit, durante illo inordinato amore, voluntatem præveniri aliquo errore, ex quo concluditur, aliquid esse agendum, & sic peccatur.

Secundò solet dividi ignorantia in ignorantiam facti, qua in facto aliquo ignoratur illud, ob quod factum lege comprehenditur, & in ignorantiam juris, qua ignoratur jus sive lex, quæ solet subdividi secundùm diversitatem juris, quod vel est jus naturale, vel divinum positivum, vel humanum &c.

Jansenius Episcopus Iprensis docuit, ignorantiam invincibilem, sive ignorantiam secundùm necessitatem absolutam non excusare à peccato, & hanc esse mentem S. Augustini. Sic enim loquitur lib. 2. de

Statu naturæ lapsæ, c. 4. Gigantea occurrit moles, & ut videtur nodus insolubilis, ut ex invincibili ignorantia peccatum possit proficisci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque scit, neque scire potuit, nec voluntate sua sive volente, sive torpescente talis ignorantia causam dedit? huiusmodi enim peccata, iam non erunt nequidem voluntaria, quod ad peccati rationem omnino necessarium est, sed necessaria. Et quis credat tale portentum, doctissimum sanctissimumque virum docuisse? si te, benigne lector, ista difficultas forte movet, profecto movet & me. Non tamen ita, ut vel dubitem, doctrinam istam Augustinum tradidisse, vel in ea tradenda fluctuasse, vel hallucinatum esse, sed potius abstupeeam, & exhorrescam profunditatem iudiciorum Dei. Certissimum est enim, quantum excussis magno labore diligentiaque principis Augustini, & anfractibus doctrina ipsius iudicare licet, hoc Augustinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palatinum sine ulla fluctuatione, ut rem in Catholica Ecclesia extra omnem controversiam, tanquam in scripturis traditam docuisse.

Respondeo & dico; omnis ignorantia invincibilis legis excusat à peccato, & à pœna peccati, secundum S. Augustinum.

Probatum prima pars ex lib. 3. de lib. arbit. c. 19. ubi S. Pater ait: Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras &c. sed qui laborat ignorantia invincibili, & ex illa operatur, ignorat omnino invitus, ergo ei non deputatur ad culpam. Probatum minor: quia ignorantia invincibilis est omnino involuntaria respectu illius, qui illa laborat, sive est ignorantia secundum
neces-

ne essitatem absolutam; si enim ullo modo esset voluntaria sive libera, posset homo eam vincere; quia hoc quisquam in potestate sua habere dicitur, quod si vult, facit, & si non vult, non facit, ut inquit S. Augustinus lib. de spirit. & lit. c. 3. Sed homo neque studendo, neque alio modo ignorantiam invincibilem superare potest: ergo &c.

Dices, ignorantia invincibilis est voluntaria voluntate capitis, quia est effectus peccati primi hominis, in quo fuimus, & cū quo omnes peccavimus. Respondeo ex hoc tantum sequi, quod sit pœna peccati primi hominis, non autem quod sit peccatum, quia nec peccatum, ut Augustinus inquit lib. 83. quæst. 24. *Nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propria voluntate.*

Probatur secundò: quia si ignorantia invincibilis non excusaret ab omni peccato, peccaret homo etiam damnabiliter in eo, quod facit necessariò, necessitate absoluta; sed hæc propositio à Pio V. & Gregorio XIII. fuit damnata, estque contraria doctrina S. Augustini cit. lib. 3. de lib. arbit. c. 18, ubi asserit, neminem peccare in eo, quod caveri nullo modo potest. *Quis enim, inquit, peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Et lib. de duab. anima. c. 11. ubi dicit: Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris Poète, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? subintellige, quod nemo in eo peccet, quod caveri non potest, sive, ut ibidem subjicit, quod nemo vituperatione, vel damnatione dignus sit, aut non contra*

vetitum iustitia faciens, aut quod non potest, non faciens, & consequenter non peccet, cum omne peccatum, ut ibidem ait, vel sit vituperandum, vel damnum; ergo ignorantia invincibilis excusat ab omni peccato.

Probatum tertio: quia secundum Augustinum lib. de vera relig. c. 14. *Vsq̄ adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium &c.* Sed quod fit ex ignorantia invincibili, nullo modo est voluntarium; ergo nullo modo est peccatum; ergo omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato.

Probatum etiam secunda pars, videlicet, quod ignorantia invincibilis etiam excuset à pœna; quia, ut S. Augustinus ait lib. 3: de lib. arbit. c. 18. *Omni pœna si justa est, peccati pœna est;* sed qui operatur ex ignorantia invincibili, nullum committit peccatum; ergo illa ignorantia excusat à pœna.

Confirmatur ex lib. 22. contra Faustum, c. 78. ubi S. Pater ait: *Sive iniquitas, sive iustitia, si in potestate non esset, nullum premium, nulla pœna justa esset;* sed quod fit ex ignorantia invincibili, non est in potestate, cum fiat secundum absolutam necessitatem; ergo excusatur à pœna.

Quod etiam consentiat S. Thomas, constat ex 1, 2. q. 6, a. 8. ubi asserit, quod invincibilis ignorantia causet involuntarium simpliciter: ex quo sequitur illud, quod ex ea fit, non posse esse peccatum.

Objicies primo: S. Augustinus lib. de grat. & lib. arbit. c. 3. dicit: *Ulla ignorantia, qua non est eorum, qui*
scire

scire notunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, quia non audivit omnino, quod crederet, sed fortassis, ut minus ardeat; ergo ignorantia invincibilis secundum Augustinum nec excusat à peccato, nec à pœna. Probatur consequentia; quia S. Augustinus loc. cit. loquitur de ignorantia invincibili. Dicitur enim eorum, qui simpliciter nesciunt, quæ nescientia tantum competit invincibiliter ignorantibus.

Respondeo negando consequentiam; & ad probationem dico, locum citatum posse intelligi de ignorantia sola legis positivæ, vel de ignorantia legis positivæ includente ignorantiam legis naturalis. Quod enim loquatur de ignorantia legis positivæ divinæ, potest colligi ex istis verbis, *Si propterea non credidit, quia non audivit* &c. scilicet Evangelium. Si intelligatur de ignorantia solius legis positivæ, sermo est de vincibili, non quidem crassa & affectata, sed de ea, quæ est eorum, qui veritatem sufficienter propositam negligunt discere. Si intelligatur de includente ignorantiam legis naturalis, ob hanc meritò dicuntur infideles non excusari, sed in ignem sempiternum ituri. Sed de his latius agetur infra. Quod autem S. Pater hinc loquatur de ignorantia vincibili, colligitur ex citatis verbis *tanquam simpliciter*: de invincibiliter enim ignorantibus non potest dici, quod *tanquam simpliciter* nesciant: neque quod *fortassis minus* sint arsure, cum hoc certum sit, nempe illos minus arsure, qui laborant ignorantia invincibili.

Objicies secundò: S. Augustin. lib. 1. oper. imperfecti cont. Julian. c. 105. dicit: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est --- necesse est enim, ut peccet, qui nesciendo, quid facere debeat, quod non debeat facere, facit; de quo genere malorum Deus rogatus ubi dicitur: delicta juventutis & ignorantiae meae, ne memineris: quod genus delictorum, si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* Et ibid. c. 106. *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi.* Et epist. 105. *Per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui judicat, sive qui non judicat, quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, poena peccati, ergo in utrisque non est justa excusatio sed justa damnatio.* Et ibid. *Humana superbia tanquam presumens de viribus liberi arbitrii excusatam se putat, quando ignorantia, non voluntatis est, quod peccat, &c.* Ergo ignorantia invincibilis secundum S. Augustinum non excusat à peccato. Probatum consequentia: quia S. Pater in adductis testimoniis loquitur de ignorantia invincibili, & de necessitate, & potentia antecedente. Respondeo negando consequentiam, & ad probationem dico; si uterque locus intelligatur de ignorantia juris naturalis cum pluribus ita sentientibus, S. Doctorem loqui de ignorantia voluntaria, saltem per accidens, ac proinde non de necessitate absoluta, sed de consequente, sive ex suppositione, quae non excludit voluntarium. In illis enim qui
intel-

intelligere potuerunt, & noluerunt, est hujusmodi ignorantia per se & directè voluntaria: in iis verò qui intelligere non potuerunt, est voluntaria per accidens, cum ideò intelligere non potuerint, quia liberè voluerunt causam, ad quam sequitur ignorantia, sive mentis cœcitas. Id est, quia liberè voluerunt adhærere creaturis, sive bono commutabili, a versi à bono incommutabili; & noluerunt recurrere ad Deum pro impetranda luce intelligibili, & spiritali, cui posuerunt impedimentum. Quò spectat illud S. Augustini lib. 3. de lib. arbitr. c. 22. *Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc anima deputatur ad reatum, sed quod scire non studuit, & quod dignam facultati comparandæ operam non dedit. --- Si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientia, quietisque beatitudinem surgere, nullus hunc ex initio naturali rectè arguit. Sed si proficere noluerit, aut à profectu retrorsum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet.* Sicut igitur nolenti videre lucem solis, & cœco ductorem respicienti cespitatio & lapsus est voluntarius: ita etiam cœcis cœcitate mentis per inordinatum amorem creaturarum inducta & continuata, juxta illud Augustini lib. 1. oper. imperf. c. 47. *Homo positus in sole cœcus, prasens est illi sol, sed ipse soli absens est; & in psal. 9. cum magnum malum homines putent oculorum corporaliū cœcitatē, qua lux ista retrahitur; quantum ergo pœnam patitur, qui secundis rebus peccatorum suorum ed perducitur, ut non sit Deus in conspectu ejus.* Et lib. de agone Christi. c. 13. *Errat, quisquis putat, se veritatem posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat.* Et lib. 3. de lib.

lib. arbit. c. 18. Illa enim peccati poena iustissima est, ut amittat unusquisquè, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet, id est, ut qui sciens recta non facit, amittat scire, quod rectum sit, & qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.

Dixi. Si uterquè locum intelligatur de ignorantia juris naturalis &c. quia aliqui locum Epist. 105. interpretantur de ignorantia juris divini positivi invincibili; ista nempe verba: qui non potuerunt. Quia interpretatione admissa, adhuc neganda est consequentia; quia non dicit S. Pater in iis, qui intelligere non potuerunt, ignorantiam esse peccatum, sed ait, esse poenam peccati. Licet autem addat in utrisque esse justam damnationem, non tamen ait in iis, qui intelligere non potuerunt, esse justam damnationem ob ignorantiam juris positivi, cum infideles negativè justè damnati fuerint, non ob invincibilem ignorantiam mysteriorum fidei, sed ob alia peccata, à quibus ob defectum fidei non fuerunt liberati.

Instabis: S. Augustinus lib. de gest. Pelag. c. 18. & 19. refert, quod Coelestius in synodo Diospolitana fuerit damnat⁹ ideo, quia docuit, quod ignorantia & oblivio non subjacerent peccato, quoniam non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem evenirent; ergo secundum Augustinum, aliosque Patres istius synodi datur etiam aliqua ignorantia subjacens peccato, quæ non secundum voluntatem evenit; ergo ignorantia aliqua invincibilis non excusat à peccato.

Respondeo negando ultimam consequentiam, & dico, quod S. Augustinus cum Patribus dictæ synodi loqua-

loquatur de ignorantia voluntaria, non quidem per se & affectata, sed per accidens; ac proinde hoc sensu non eveniente secundum voluntatem, sed secundum necessitatem, non absolutam, sed ex suppositione.

Urgebis: Pelagiani agnoverunt cum Pelagio, quod ignorantia voluntaria sive vincibilis subjaceret peccato, ut testatur S. Augustinus lib. de natur. & grat. c. 17. ubi ait: *Tractat etiam iste de peccatis ignorantia, & dicit, hominem prævigilare debere, ne ignoret, ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset*: Ergo Pelagius cum suis asseclis ideò damnatus fuit, quod nollet ignorantiam invincibilem subjacere peccato.

Respondeo distinguendo antecedens. Pelagiani agnoverunt cum Pelagio, quod ignorantia voluntaria sive vincibilis, non solum physice, sed etiam moraliter, & facile per vires naturæ, subjaceret peccato, transeat; vincibilis physicè, & quasi moraliter invincibilis ob inductam per peccata necessitatem ex suppositione; nego antecedens, & consequentiam.

Dixi *transeat*: quia existimant aliqui Pelagium prius docuisse nullam ignorantiam subjacere peccato; postea autem ab Augustino convictam sententiam istam retractasse, & hac retractatione non obstante in memorata synodo fuisse damnatam priorem illius sententiam.

Potest etiam distingui antecedens hoc modo: Pelagiani agnoverunt, quod ignorantia voluntaria per se subjaceret peccato; concedo antecedens: quod voluntaria per accidens subjaceret peccato; nego antecedens,

dens, quia videntur Pelagiani tantum admisisse eam ignorantiam juris naturalis esse culpabilem, quam præcederet aliqua cogitatio, & ideò fuisse à Concilio damnatos, eo quod etiam voluntaria per accidens sit culpabilis.

Respondent deniquè aliqui ad hanc instantiam, à Patribus dictæ synodi ignorantiam invincibilem baptizatorum dictam fuisse peccatum, non formale, sed materiale, eò quod ignorantia & concupiscentia sint materiale peccati originalis, quod à Pelagianis fuit negatum, quia *dixerunt Pelagiani, ut S. Augustinus testatur lib. de dono persever. c. 11. ignorantiam & difficultatem, id est, concupiscentiam, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse natura.*

Objicies tertio. S. Thomas quod lib. 8. a. 13. ait: *illud, quod est contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam;* conformiter ad hanc Augustinianam peccati definitionem: *peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem:* & quod lib. 9. a. 15. *error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto.* Sed quod fit ex ignorantia invincibili, fit contra legem, & ex errore, quo non creditur esse peccatum, quod est peccatum: ergo semper est malum, nec excusatur à peccato: ergo prudenter præsumi potest, quod S. Augustinus non docuerit contrarium, quia S. Thomas est quasi echo S. Augustini.

Respondeo igitur, in locis objectis S. Doctorem agere de conscientia erronea vincibili, quæ peccatum
non

Dissertatio tertia.

non excusat. Neque Augustini definitio obstat, quia S. Pater vult illud esse peccatum, quod est contra legem æternam, ut participatam à ratione, cujus dictamen proximè dirigit actus humanos, & est quædam legis divinæ impressio, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 4. quando autem invincibiliter ignoratur id, quod agitur, esse peccatum, deest hujusmodi dictamen culpabiliter ob ignoratam invincibiliter legem.

Objicies quartò: Omnis pœna peccati originalis est culpabilis, sed ignorantia invincibilis est pœna peccati originalis: ergo ignorantia invincibilis est culpabilis: ergo non excusat &c.

Respondeo negando majorem; cujus falsitas patet in primis ex infidelitate negativa, quæ licèt sit pœna peccati originalis, non tamen est culpabilis. Secundò patet ex aliis naturæ humanæ miseriis, quæ sunt pœna peccati originalis. Tertiò ex motibus primò primis, & concupiscentia, quæ sunt pœna peccati originalis, sed non peccatum. *Ille concupiscentialis inobediencia* inquit S. Augustinus lib. 1. de civit. Dei. c. 25. *quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Cui consonat illud S. Thomæ in 2. dist. 50. q. 1. a. 2. *ad culpam personalem requiritur voluntas personæ; & confirmatur ex illo S. Augustino cit. lib. 83. qq. quæst. 24. nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propria voluntate.*

Objicies quintò: Tunc ignorantia non excusat à peccato, quando ignorans potest cognoscere, actum esse prohibitum, & non cognoscit; sed hoc interdum potest

potest ignorans invincibiliter; ergo ignorantia invincibilis non excusat semper à peccato. Probatur minor; quia ille potest cognoscere, cujus intellectus est informatus sufficientibus speciebus intelligibilibus, à quibus denominatur intellectus potens cognoscere; sed intellectus ignorantis invincibiliter interdum est sic instructus: ergo &c.

Diffimulata majori, Respondeo negando minorem. Et ad probationem ejus dico, non sufficere species, sed requiri quoque eorum excitationem, quam laborans ignorantia invincibili non habet in sua potestate.

Obicies sextò: Si ignorantia invincibilis excusat à peccato; ergo consuetudinarii, qui se ipsos obduraverunt & excæcarunt sunt meliori loco, quam alii, qui veritatem cognoscunt. Respondeo negando consequentiam, quia consuetudinarii agentes contra legem naturalem & divinam sufficienter propositam &c. non laborant ignorantia invincibili. est enim illis ignorantia voluntaria, ut magis patebit ex dicendis. Videri potest dissertatio de sufficientia & necessitate Pœnitentiæ &c. dubio 6. & 9.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

*An secundum Augustinum detur ignorantia invincibilis
juris naturalis?*

DE Jure sive lege naturali dicit S. Augustinus lib. 2. Confess. c. 4. *Lex tua, Domine, in cordibus hominum*

monum scripta est &c. Eo ipso enim, quod Deus voluerit naturam rationalem creare, & sapienter gubernare, voluit, imò debuit curare, ut viveret conformiter suæ naturæ, & consequenter eam obligare, ad fugienda ea, quæ sunt intrinsicè & ex naturâ suâ mala, & ad prosequenda opposita bona. Lex igitur naturalis, prout in Deo existit, non distinguitur adæquatè à lege æterna. Consistit enim in ordinatione divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva creaturarum rationalium, modo jam dicto: cujus ordinationis sive dictaminis divini imago, & participatio est lex naturalis, prout existit formaliter in ipsâ creaturâ, id est, dictamen actuale rectæ rationis, quo præcipitur rationali creaturæ, ut memorata mala fugiat, & bona prosequatur. Dixi *formaliter*; quia si sermo sit de lege naturali fundamentaliter, & in actu primo spectatâ, non distinguitur ab ipsâ naturâ rationali, sive lumine naturali intellectus in actu primo, sive à vi discernendi honesta & turpia, atque obligandi ad hæc fugienda, & illa prosequenda, de quibus latius solet tractari in materiâ de legibus. Continet autem lex naturalis duplicis generis præcepta, videlicet communia, & particularia. Commune est illud: *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Particularia sunt quasi conclusiones, quæ ex communibus deducuntur.

Nota; Tria præceptorum in Decalogo contentorum, quæ vocantur primæ tabulæ, respicere Deum, & divinam Religionem; septem; quæ secundæ tabulæ nominantur, disponere hominem benè erga proximum, & tam hæc, quam illa, non minus Christianis

esse observanda, quàm fuerint observanda Judæis; imò magis, secundùm S. Augustinum, qui Tract. 3. in Joan. ait: *illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, & observanda sunt.*

Nota secundò: Posse aliquid dici absolutè & simpliciter ignorari invincibiliter secundùm se propriè, licèt prout vestitur aliqua circumstantia, ignoretur invincibiliter.

Celeberrima, & magni momenti inter recentiores Theologos controversia est, an detur ignorantia invincibilis legis naturalis? Dixi *inter Recentiores*, quia Vasquez 1, 2. disp. 122. cap. 1. & Paulus Comitulus lib. 5. resp. moral. c. 1. testantur, antiquos Theologos istius fuisse sententiæ, quòd semper vincibilis esset juris sive legis naturalis ignorantia. Quinam sint isti antiqui, & adhaerentes illis juniores, an scilicet Jansenistæ, vel econtra Augustiniani & Thomistæ, dicetur Paragrapho sequenti. Operæ pretium erit, examinare, & intelligere, quid senserit in hac materia præcipuus Ecclesiæ Doctor S. P. Augustinus &c.

Respondeo & dico: Secundùm S. Augustinum non datur ignorantia invincibilis juris sive legis naturalis secundùm se spectatæ, in homine usu rationis pollente. Probatur primò, quia ignorantia voluntaria, sive quæ humanâ industriâ per Dei gratiam omnibus paratam adjuta superari potest, non est invincibilis; sed talis, secundùm S. Augustinum, est omnis ignorantia juris naturalis: ergo. Major patet ex dictis §. 1. Minor probatur: quia si homo se ad alia cognoscenda, & amanda non applicet, potest juxta hoc generale

generale

nērale juris naturalis præceptum; *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*, omnibus impressum, & notum, formare dictamen practicum; procedere absque errore, & amare justitiæ pulchritudinem, in omni particulari operabili, in materia juris naturalis, sicque vitare peccata contra legem naturæ. Audiantur verba S. Doctoris in psal. 118. Conc. 25. *Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, QUAM NON SINITUR IGNORARE, dum id quod facit, non vult pati.* Et in psalm. 57. *Quandoquidem manū formatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, non facias alteri, hoc & antequam lex daretur, NEMO IGNORARE PERMISSUS EST, UT ESSET, UNDE JUDICARENTUR, & quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere volebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, quasi forinsecus ad motū voce Dei ad interiora sua homo compulsus est; --- sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, à seipsis exules facti sunt: data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu suggestivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderi, & ad te ipsum intro revocari.* Et in ps. 129. *Pecator enim oblitus erat se, nec videbat se, data est illi lex, ut videret se.* Ex his S. Patris testimoniis satis colligitur, legem naturalem ita in cordibus hominum à formatore Deo scriptam esse, ut licet à concupiscentia indomita abrepti contra eam peccent, responsuri

tamen essent, si interrogarentur, an talia pati vellent? se talia pati nolle.

Specialiter autem notanda sunt verba : NEMO IGNORARE PERMISSUS EST, UT ESSET, UNDE JUDICAREN IUR, &c. Si enim ignorantia legis naturalis esset invincibilis, verè dici non posset; QUAM NON SINITUR IGNORARE, NEMO IGNORARE PERMISSUS EST, &c.

Dices : Ista S. Augustini testimonia respiciunt tantum præcepta secundæ tabulæ, quibus bene disponimur erga proximum; sed hoc non obstante sustineri potest, invincibiliter ignorari ab aliquibus posse præcepta primæ tabulæ, quæ præscribunt, quomodo Deus sit amandus, & colendus, cum Deum esse, invincibiliter ignorari possit; ac proinde legem naturalem, prout in Deo existit; imò prout & in homine, cum hæc, ut notatum fuit supra, illius sit participatio, & consequenter à taliter ignorantibus nullum omnino posse committi peccatum secundum doctrinam S. Augustini, qui lib. 22. cont. Faust. c. 27. definit: *Peccatum factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam Dei, quæ lex secundum eundem est ratio, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans*: sed invincibiliter ignorantes, Deum esse, nihil possunt facere, vel dicere, vel concupiscere contra illam Dei rationem & voluntatem, cum illam, ex supposito, cognoscere non possint; ergo &c. quibus addi potest illud lib. 12. de Civ. Dei, c. 9. *Malam voluntatem non facit, nisi defectio, quâ deseritur Deus*: sed ab invincibiliter ignorantibus Deum, non potest Deus deseris

deseri; ergo. Quòd autem taliter Deum ignorantes dentur, videtur concludi posse ex Apostolo dicente, Philosophos Gentiles fuisse inexcusabiles, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificarunt &c.* ex quo videtur sequi eos, qui Deum non cognoverunt, fuisse per invincibilem ignorantiam excusabiles.

Respondeo primò negando majorem; & oppono illud S. Augustini lib. de decem Chord. c. 10. *Si homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi, &c. Si autem, quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? nonne facis alteri, quod pati non vis? Charior tibi factus est homo, quàm Deus. Ego quomodo injuriam facio, inquis, ipsi Deo? corrumpis teipsum. Et unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est in domo tuâ inaniter posta ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? Cum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per diffuentias libidinis, ----- non attendis, per libidines & illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti? Ex illo igitur supra citato generali præcepto, non solum deveniri potest in cognitionem legis naturalis dictantis, quomodo sit diligendus proximus, sed etiâ quomodo sit diligendus & colendus Deus, & utriusq; tabulæ præcepta ita cum isto principio cohærent, ut hæc ignorari invincibiliter nequeant, si illud taliter non ignoretur.*

Respondeo igitur secundò, negando subsumptum,

B 3

& pro-

& probationem ejus; & oppono doctrinam S. Augustini lib. I. de Doct. Christ. ubi postquam S. Pater cap. 7. dixerat, illos, qui per intelligentiam pergunt videre, quod est Deus, omnibus eum naturis visibilibus, & corporalibus intelligibilibus etiam, & spiritualibus, omnibus mutabilibus preferre: nec quenuquam inveniri posse, qui hoc Deum credit esse, quo melius aliquid est. Subjungit cap. 8. Si non viderent, id est vitam incommutabilem, ut ante dixerat, Sive illam, quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potius ipsa sapientia, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponeant, ipsam quoque regulam veritatis, quæ illam clamat esse meliorem, incommutabilem vident. Nec usquam, nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se vident mutabiles. Nemo est enim tam imprudenter insulsus, qui dicat; Unde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse preferendam? Id ipsum enim, quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præstò est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in Sole, cui nihil predest ipsi locis oculorum ejus tam clara ac præsentis lucis fulgor insusio, qui autem videt, ac refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam aciem mentis gerit. Per hanc enim doctrinam satis patet, secundum Augustinum neque invincibiliter ignorari posse Deum, neque legem naturalem de eo diligendo & colendo, prout in eo existit, & in homine à Deo impressa; sed posse tam in hoc quàm illo videri, quid sit agendum, vel omittendum, nisi aliquis oculos claudat. Quod confirmari potest ex lib. 14. de Trinit. cap. 150

cap. 15. ubi ait S. Pater : Domini autem Dei sui remi-
 niscitur (subintellige mens hominis.) Ille quippe sem-
 per est, nec fuit, & non est, nec est, & non fuit; sed
 sicut nunquam non erit; ita nunquam non erat, & ubi-
 que totus est. Propter quod ista in illo & vivit, & mo-
 vetur, & est, & ideo reminisci ejus potest, --- nam hinc
 est, quod etiam impij cogitant eternitatem, & multa
 recte reprehendunt, recteque laudant in hominum mori-
 bus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus
 vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi
 nec ipsi eodem modo vivant? Vbi eas vident? Neque
 enim in sua natura, cum procul dubio mente ista vi-
 deantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has
 vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis & hoc
 videre potuerit: nec in habitu sua mentis, cum illa
 regulae sunt justitiae, mentes vero eorum constet esse in-
 justas. Vbinam sunt istae regulae scriptae? Vbi, quid sit
 justum, & injustum agnoscit, ubi cernit habendum es-
 se, quod ipse non habet? Vbi ergo scriptae sunt, nisi
 in libro lucis illius, quae Veritas dicitur? Unde omnis
 lex justa describitur, & in cor hominis, qui operatur
 justitiam, non migrando, sed tanquam imprimenda
 transfertur, sicuti imago ex annulo & in ceram
 transit, & annulum non relinquit. Qui vero non
 operatur, & tamen videt, quid operandum sit, ipse
 est, qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangi-
 tur. Qui autem nec videt, quemadmodum sit viven-
 dum, excusabilius quidem peccat; quia non est trans-
 gressor cognitae legis: sed etiam ipse splendore aliquoties
 ubique praesentis veritatis attingitur, quando admonitus
 confitetur.

Ad locum Apostoli respondeo cum S. Augustino Epist. 105. Ideo divina eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes, sed scientes peccant, ut secundum iudicium superbiae suae, quod multum confidunt de viribus propriae voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia iam non habent excusationem, & nondum est iustitia, cui praesumebant sufficere voluntatem. Et lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 9. Simili locutione usus Iacobus Apostolus ait: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Nunquid ideo non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideo non facit? Vtique peccatum est, sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat.

Manet igitur verum, secundum allegatam S. Augustini doctrinam, id, quod supra assertum fuit, videlicet hominem non erraturum circa legem naturae, iudicando bonum esse, quod est malum in particulari operabili, si non ab illa luce aversus, consuetudine umbrarum carnalium invalidam mentem gereret; sive si à seipso non exularet, corque suum fugeret, applicando se ad alia, & sequendo passiones, & inordinata cordis sui desideria. Liberè enim amplectitur errorem, qui, si non sequeretur impetus vitiosorum habituum & passionum, posset formare contrarium iudicium practicum ex regulis aeternae Veritatis, & sibi impressis, quas videre potest, possetque se doctiores consulere, & sapientiam petere à Deo. Qui, ut sanctus Augustinus ait lib. de nat. & grat. cap.

17. dat omnibus affluenter, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda est, juxta illud lib. 3. de lib. arb. cap. 19. Nulli homini ablatum est scire, utiliter querere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendum esse imbecillitatem, ut querenti & confitenti illo subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat.

Probatur secundò: si in aliquibus invincibilis esset ignorantia legis naturalis, illi essent excæcati, sed tales secundum Augustinum in nullo statu laborarunt ignorantia invincibili; ergo in nullo homine usu rationis pollente datur ignorantia invincibilis juris naturalis. Probatur minor: imprimis per ignorantiam invincibilem legis naturalis non fuerunt excusati homines tempore legis naturæ ante promulgationem legis Mosaicæ, secundum Augustinum; neque tempore dictæ legis, ut colligitur ex sequentibus locis. Primò dicit sanctus Pater lib. tertio cont. Julian. cap. 12. Nonne audis, quemadmodum detestetur Apostolus quosdam, quos dicit alienatos à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum; sed non fuissent ita detestabiles, ob ignorantiam invincibilem, cum hæc secundum S. Augustinum excuset à peccato, ergo. Secundò ait lib. 1. ad Simpl. qu. 1. Legem, id est, naturalem Decalogi, ad hoc datam esse, non ut peccatum infereretur, neque ut extirparetur, sed tantum, ut demonstraretur, quo animam humanam

quasi de innocentia securam ipsa peccati demonstratione
 ream faceret. Quibus significat S. Doctor, illos, qui
 ante legem Mosaicam ita excæcati erant, ut putarent se
 esse innocentes & securos de innocentia, fuisse reos ob
 violatam legem naturalem: ergo non agnovit in illis
 ignorantiam invincibilem juris naturalis. Et de Ju-
 dæis ait in Exposit. c. 3. Epist. ad Galat. *Lex ostendebat
 peccatum esse, quod illi per consuetudinem cæcati possent
 putare justitiam.* Ecce dicit, peccatum fuisse contra
 legem naturalem ab illis etiam Judæis, qui ita erant ex-
 cæcati per consuetudinem, ut existimare possent, id
 quod revera peccatum erat, esse justitiam, ergo &c.
 Quibus adde illud lib. 1. oper. imperf. cap. 47. *Cæci-
 tas enim cordis, si peccatum non esset, injustè argueretur:
 arguitur autem justè, ubi dicitur, PHARISÆE COE-
 CÆ, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis. Ea-
 demque rursus cæcitas, si peccati pœna non esset, non di-
 ceretur; Excæcavit enim illos malitia eorum. Quod si Dei
 justo judicio non veniret, non legeremus; Obscurentur
 oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.*
 Quod autem tempore legis Evangelicæ nemo possit
 dici ob excæcationem per ignorantiam excusari, pa-
 tet ex loco supra in notabili allegato; quia præcepta il-
 la naturalia, secundum Augustinum nos magis obli-
 gant, quàm Ethnios & Judæos, ob majorem excellen-
 tiam præmii nobis promissi, ut ibidem S. Augustinus
 insinuat, & ob sublimiorem statum sub lege gratiæ,
 quæ, ut S. Pater ait lib. de spir. & lit. c. 27. *Imaginem
 Dei, in quâ naturaliter conditi sumus, instaurat in
 nobis.*

Pro

Pro hujus doctrinæ confirmatione facit etiam locus supra S. primo ad probandum, ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, ex Epistola 105. objectus, videlicet hic: *Per hoc, inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propria voluntatis, sive qui novit, sive qui judicat, sive qui non judicat, quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est.* IN IIS AUTEM, QUI NON POTUERUNT, eò scilicet, quod libere voluerint causari, ad quam sequitur mentis cæcitas, POENA PECCATI; ERGO IN UTRISQUE NON EST JUSTA EXCUSATIO, SED JUSTA DAMNATIO. Possent & alia adduci Augustini Testimonia, sed hæc sufficiunt, Quid in hac controversia senserint discipuli S. Augustini, ostenditur infra, præsertim paragrapho sequenti.

Objicies primò: Juxta supra notata, quædam præcepta legis naturalis sunt particularia, & conclusiones deductæ ex universalioribus; sed multi homines inepti sunt ad deducendum tales conclusiones, utpote tam rudes & indisciplinati, ut vix à brutis discrepare videantur; neque adsunt, quos consulere possint; ergo hi saltem invincibiliter poterunt ignorare legem naturalem, & excusari, si ejusmodi conclusiones practicas non deducant, dum est operandum, & concludant contra legem.

Respondeo; Nullum hominem usû rationis polentem esse tam rudem, & heberem, ut impressam sibi legem naturalem consulere, & monentem audire non possit, & in ea videre, quid sit agendum, aut omittendum

dum in particulari operabili, si oculos non claudat liberè, ut patet ex dictis, & pro confirmatione servare potest, quod dicit S. Augustinus serm. 44. de diversis, cap. 6. *Iustitia præstò est justè viventi: secundùm ejus regulam videt, quemadmodum justè vivat, & sicut justè bene vivendo eam vident, ita injusti male vivendo eam non vident: nam & ille justè vivit, cum eam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat, quia nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.* Et lib. 2. de lib. arb. cap. 16. *Væ qui se avertunt à lumine tuo & obscuritati suæ dulciter inhaerent! Tanquam enim dorsum ad te ponentes in carnali opere, velut in umbra sua desiguntur.*

Instabis: Ipse Augustinus, qui fuit lux Doctorum, in materia juris naturalis multa invincibiliter ignoravit: ergo alii, qui illi quoad ingenium & doctrinam comparari non possunt, legem naturalem invincibiliter possunt ignorare. Consequentia patet. Antecedens posset ex variis locis doctrinæ ejus probari. Sufficit lib. 1. serm. d. in monte ubi c. 16. putat, uxorem dimissam à viro, vivente adhuc illo, absque adulterii malitia posse ducere alterum. Respondeo, negando antecedens, & ad probationem dico: etsi S. Pater locitato dubium proposuerit, satis tamen ex verbis subjectis constare, quid senserit, ait enim: *Quamvis multo minus inveniri possit, quomodo, cum vir & mulier pari consensu sibi misceantur, unus eorum mæchus sit, & non alter. Huc accedit, quia si mæchatur ille ducendo eam, ipsa illum facit mæchari, quod nihilominus Dominus vetat.* Ex quo patet, frustra huic doctrinæ opponi citatum

tam textum S. Augustini, uti & alterum ex eodem S. Patre de uxore, quæ concubuerat cum creditore, marito consentiente, pro vita hujus conservanda, cum nec hoc factum excuset S. Pater, etsi fateatur, quod non ita tali circumstantia vestitum id respuat sensus humanus, quemadmodum antea, cum sine ista circumstantia poneretur. Potuisset opponens hoc responsum facile videre paragrapho quarto in oppositione doctrinæ S. Augustini, contra propositionem quinquagesimam damnatam; ubi locum citavi ex capite mihi decimo sexto lib. 1. serm. Dom. de monte.

Objicies secundò: S. Thomas, qui est fidelis S. Augustini discipulus, docet posse dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis; ergo non est præsumendum, quod S. Augustinus docuerit oppositum. Antecedens probatur; quia S. Doctor docet 1. 2. qu. 94. a. 6. *Legem naturalem, quantum ad principia communia, nullo modo posse à cordibus hominum deleri, deleri tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile &c.* Item: *Quantum ad alia præcepta secundaria posse deleri de cordibus hominum &c.*

Respondeo primò, mentem S. Augustini satis patere ex dictis.

Respondeo secundò, negando antecedens: ad cujus probationem dico; S. Thomam tantum velle, quod deleatur lex naturalis de cordibus hominum per ignorantiam vincibilem, hoc enim colligitur ex textu ibidem; quia dicit: *quod ratio impediatur applicare, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem,*
propter

propter malas persuasiones, pravas consuetudines, & habitus corruptos. Nequè contrarium docet S. Doctor loco ab opponente citato, nempe 1. 2. quæst. 94. 2. 4. ubi postquam dixit, legis naturæ quantum ad particularia, notitiam in aliquibus posse deficere, subjunxit, & hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione seu mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ &c. Id est, quod præcepta universalis non bene applicentur, dum in particulari operandum est, tribuendum esse peccatis personalibus, quibus liberè homo ponit impedimenta, & hinc sibi imputare debet, quod per corruptos habitus, passiones & pravas consuetudines lumine naturali offuderit tenebras, & tam difficulter vocem Dei audiat, tanto celerius, inquit S. Gregorius homil. 36. vocem Dei aliqui audiunt, quanto in hoc mundo non habent, unde delectentur. De mente S. Thomæ infra clarius constabit.

Objicies tertio: Cui malitia, quæ est formale peccatum, non est voluntaria, non est etiam voluntarium peccatum; sed illi, qui ex ignorantia legis naturalis operatur, malitia non est voluntaria; ergo nec peccatum est illi voluntarium. Major est doctrina S. Augustini, secundum quem usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, lib. de vet. Relig. c. 14. Minor etiam probatur; quia voluntarium est, quod procedit à principio intrinseco, cum cognitione finis, sed taliter operans non cognoscit malitiam; ergo illi malitia non est voluntaria.

Respondeo negando minorem; sicut enim illi, qui sciens & volens actum liberè committit, malitia, quam

non

non cognoscit, est voluntaria per accidens, ita & peccatum. Qui nesciens, inquit S. Pater Augustinus lib. 1. retract. c. 15. Peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quae voluntas utique, sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum. Quod enim nisi voluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed VOLUNTATE FACTI, NON VOLUNTATE PECCATI, quod tamen factum peccatum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit. Adde; si ad peccandum requireretur semper aliqua advertentia malitiae, omnes excusatos, & desiderii carnis traditos, & ipsos Judaeos, qui Christum crucifixerunt, fore excusabiles, quia si eum cognovissent, non crucifixissent, ut testatur Apostolus 1. ad Cor. 2. Imò sequeretur, nullum dari peccatum ignorantiae contra sacram Scripturam, & S. Augustinum, aliosque SS. Patres & Theologos, cum ignorantia excludat malitiae cognitionem. Adde secundò; quod secundum S. Augustinum non solum culpabilis sit ille, qui se non reflectit supra malitiam, sed etiam, qui credit se benè operari, ut patet ex supra dictis, & ex illo Epist. 154. Si quis bonum putaverit, quod malum est, hoc putando utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando benè quisque fieri putat, quod malè fit. Quando autem S. Augustinus aliique sancti Patres, uti & sacra Scriptura taliter errantes non excusant

culant à peccatis , præcipuè loquuntur de agentibus contra legem naturalem. Huc etiam spectant , quæ conformiter ad doctrinam S. Augustini scribit S. Bernardus in Epist. ad Hugonem à S. Victore : *Is forsitan , qui asserit , nunquam posse peccari per ignorantiam , nunquam pro his ignorantibus deprecatur , sed potius Prophetam irridet , deprecantem & dicentem : delicta juventutis & ignorantias meas ne meminertis . Forsitan & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantia satisfactionem . Si ignorantia nunquam peccatum est , cur dictum est in Epist. ad Hebra. quod in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret , non sine sanguine , quem offerret pro sua & populi ignorantia ? Si peccatum ignorantia nullum est , non ergo peccavit Saulus , quod persecutus est Ecclesiam Dei , quoniam quidem ignorans hoc fecit manens in incredulitate . --- Si ignorantia nunquam peccatur , quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum , quoniam non quidem malum esse nescierunt interficere illos , sed insuper --- arbitrati sunt obsequium se præstare Deo ? sed & frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus , quippè nescientibus , ipso teste , quid facerent --- nunquid non ex his satis apparet in quantis jaceat ignorantia tenebris qui ignorat peccari posse -- per ignorantiam . Adde illud c. 18. de præcept. & dispens. Alius , quem nequam esse definimus , quia sit dupliciter malus ; cui quippè & malitia parit ignorantiam , & ignorantia malitiam operit ita , ut sæpè nesciens & malum , quod vult , non faciat , & bonum faciat , quod non vult --- qui hujusmodi est , cavere profecto malum nec vult , etiamsi possit , nec , si velit , scit . Ignorantia securior-*

rem,

rigorem, securitas segniorem facit - - - si igitur is verè oculus nequam est, qui perversus pariter & cæcus bonum agit, & malum credit, utique rectè operando, sed opinando inique, bonam sibi in malum vertit, & tantum malum quantum crediderit; quandoquidem juxta sententiam Domini totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquatur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? at non idè sequitur, ut qui e contrario malum facit, & bonum putat, juxta suam fidem similiter & ipse inveniat. quare? non est quippè simplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat - - - neque enim ex toto adhuc tenebra desunt, ubi ignorantia veritatis lucem obscurat veritatis - - - sine malo quocunque non erit decepta simplicitas. Cur inquis? nunquid non ex fide? prorsus ex fide, sed falsa, vel potius non ex fide, quia fides falsa fides non est. Denique de fide verà non falsa putò dixisse apostolum: omne quod non est ex fide peccatum est.

Ut igitur operemur ex fide verà, & à tenebris liberemur juxta monitum ejusdem Sancti serm. 6. in quadrag. inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentia, ut magis & magis notam faciat nobis Deus voluntatem suam;

Sed hoc notandum, in nullo esse tam profundam Juris naturalis ignorantiam, & cæcitatem, ut nulla superfit scintilla boni honesti interdum monens, & pungens conscientiam. Sufficit ergo ad peccandum, quod actus cognoscatur, & sit voluntarius formaliter. Unde magna est differentia inter actus, qui sunt tantum mali, quia lege positiva sunt prohibiti, & qui sunt prohibiti, quia

quia ex natura sua mali; qui enim horum aliquem exercet liberè, in actu exercito vult malitiam specificam actui intrinsecam & essentialem, licèt eam in actu signato non advertat, eò quòd liberè inhæreat bonis delectabilibus, sicque ponat impedimentum.

Instabis: Qui nullam habet cognitionem de malitia operis, & obligatione præcepti, actu nullam habet gratiam; ergo est excusabilis.

Respondeo, dissimulato antecedente, negando consequentiam. Quia si non habeat, suo vitio non habet. habuit enim non tantum in principio usus rationis, sed etiam sæpius in vita, si diu vixerit, habetque paratam & oblatam, & dum operandum est, acciperet actu, si per voluntarium creaturarum amorem non poneret impedimentum. Sed de his latius egi in Dissertatione de sufficientia & necessitate Pœnitentiæ &c.

Instabis secundò: S. Thomas 1, 2. qu. 19. a. 5. ait: *Illud quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud, quod est malum, rationem boni, propter apprehensionem rationis;* ergo si quis ita apprehendat actionem secundum se malam, ut non solum non advertat malitiam, sed etiam putet esse bonam, non peccat. Respondeo distinguendo consequens: ergo non peccat contra conscientiam, concedo; non peccat contra legem, nego consequentiam. Ratio est: quia, ut ait S. Thomas ibidem a. 6. ad 1. *Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus, & ideo ad hoc quod dicitur malum, id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum, sive*
quod

quod apprehendatur, ut malum; sed ad hoc quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum. Hinc in corpore ait, Si ratio errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eò quod error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.

Instabis tertio: Homo est subiectum virtutis & peccati, in quantum est particeps rationis; sed ignorantia excludit scientiam, per quam ratio perficitur; ergo ignorantia totaliter excusat à peccato. Respondeo cum S. Thoma 1, 2. qu. 76. a. 3. ad 3. Quod si esset talis ignorantia, quæ totaliter usum rationis excluderet, omnino à peccato excusaret, sicut patet in furiosis & amentibus: non autem semper ignorantia causans peccatum est talis, & ideo non semper totaliter excusat. Ex quo patet, quod licet operans malè contra legem naturalem ex ignorantia, non advertat malitiam, non tamen totaliter excusetur; quia illa ignorantia non excludit totaliter usum rationis, eò quod in actu exercito cognoscat & liberè velit actum intrinsecè malum.

Instabis quarto: est impossibile scire omnem veritatem naturalem; ergo datur ignorantia invincibilis legis naturalis. Respondeo cum Passerino Ord. Prædicatorum Procuratore Generali, & in Sapientia Romana S. Theol. Professore, in comment. canonico, de constit. quando dicitur esse moraliter impossibile, sine errore scire omnem veritatem naturalem, intelligendum esse de impossibilitate generali & vaga, simili illi, per quam dicitur impossibile esse, ut non veniant scandala, seu necesse esse, ut veniant. Matth. 18. Sicut

enim non obstante hac necessitate, quilibet potest vitare peccata & scandala, Deo adjuvante: ita non obstante illa impossibilitate vaga, quilibet, per naturalia principia, Deo adjuvante, potest sine errore scire præcepta naturalia, præsertim cum nulli tam densæ errorum tenebræ offundantur, quin interdum aliqua boni scintillatio oriatur, & synderesis moneat; ac proinde in particulari operabili non datur ignorantia invincibilis legis naturalis, & difficultas, quæ reperitur in inveniendâ veritate, tribuenda est pravis habitibus, passionibus, aut negligentia, socordia, aliisque personalibus peccatis ignorantis. Dixi: Deo adjuvante: quia ut intellectus in hoc statu sine errore cognoscat veritates etiam naturales, secundum S. Augustinum, & S. Thomam, & S. Bernardum supra, indiget homo auxilio speciali, saltem naturali, precibus impetrando. *Quod de me scio, inquit S. P. l. 10. Conf. c. 51. te mihi lucente scio.* Et l. contra Epist. fund. & alibi: *Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut ex quantulacunque parte possit intelligi.* Et S. Th. l. 4. cont. gent. c. 52. *Homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, de facili labitur in errorem, &c. Multa, inquit S. Bernardus Epist. 77. ad Hug. à S. Victo. Profectò scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi, & hujusmodi ignorantia non habet excusationem.*

Objicies quartò: Qui ex ignorantia & concupiscentia peccat contra legem naturalem, inavitus errat, & non potest abstinere à malo opere; ergo illi malitia nec per se, nec per accidens est voluntaria; ergo laborat

rat ignorantia invincibili juris naturalis. Antecedens probatur ex S. Augustino, qui lib. 3. de lib. arb. c. 18. ait: *Nam sunt revera omni peccanti anima ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia debonestat error, & difficultate cruciatus affligit; sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & , resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Respondeo distinguendo antecedens: qui ex ignorantia & concupiscentia peccat, invitus errat, & non potest abstinere, si consideretur secundum voluntatem, qua naturaliter omnis homo desiderat cognoscere verum, & verum bonum amat, concedo; si spectetur secundum voluntatem, sive amorem, quo liberè vult inhærere bono delectabili, ex quo nascitur error seu ignorantia excludens scientiam, non tantum, quâ scitur actum hîc & nunc exercendum esse prohibitum, sed etiam interdum, quâ scitur simpliciter esse malum (quod propriè est peccatum ignorantiae, prout hoc distinguitur à peccato ex infirmitate seu passione, quæ excludit tantum scientiam, quâ scitur, hîc & nunc, hunc actum esse malum, & statim transit; & à peccato ex certa malitia seu habitu, ex cujus inclinatione diuturna judicatur quoque, hîc & nunc per se bonum, quod per se malum est) si inquam sic consideretur voluntas, nego antecedens, & consequentiam. Si enim taliter operans non esset negligens in suppressendis & repellendis inordinatis affectibus & concupiscentiae motibus, verum bonum posset cog-

cognoscere & amare, dictante ratione naturali, illud esse falsum & fugiendum, quod judicat esse verum, & per se appetendum.

Objicies quintò: Si non detur ignorantia invincibilis juris naturalis, sequitur illos, qui in juventute se frequenter polluerunt, ignorantes pollutionem esse peccatum, postea melius edoctos, teneri repetere confessiones, tempore ignorantiae factas, sed hoc videtur nimis durum; ergo datur interdum ignorantia juris naturalis in hominibus usu rationis pollentibus. Ad hoc argumentum dupliciter respondetur à Doctoribus ignorantiam invincibilem juris naturalis negantibus. Aliqui enim negant minorem, concessâ sequelâ majoris, eò quòd omittens in confessione culpabiliter peccatum mortale teneatur repetere confessionem. Dicunt ergo talibus instituendam esse confessionem generalem ab eo tempore, quo inceperunt se polluere. Alii negant sequelam majoris, ii nempe, qui admittunt posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe: putant enim, non obstante ignorantia vincibili, illos, qui sine omni advertentia malitiæ & scrupulo se polluerunt, non fuisse pro eo tempore obligatos ad confitendum istos actus, eò quòd nullam habuerint peccatorum istorum conscientiam, sed laboraverint interdum ignorantia valde difficulter superabili, & secundum Concilium Tridentinum homo tantum teneatur confiteri ea peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet. Unde asserunt sufficere, si confiteantur peccata, quæ tunc ignorarunt, & modò cognoscunt,

noscent, absque repetitione factarum confessionum.

Instabis: Quia juvenes ista peccata in confessione non aperuerunt, est signum, eos invincibiliter ignorasse, esse peccata. Respondeo negando assumptum. Si enim tales interrogarentur, an presentibus suis parentibus, aut aliis honestis hominibus voluissent tales actus exercere, aut iis revelare, quod exercuerint, sine dubio negarent; ex quo satis apparet, quod non ignoraverint invincibiliter, esse peccata.

Urgebis: *Confessarios habere certam experientiam, aliquos esse assuetos pollutioni sine conscientia peccati, ac proinde ab illis invincibiliter ignorari malitiam talis peccati.* Sed contra; etiam illi, qui ita sunt cæci, ut se bene putent agere, si errent in materia legis naturalis, secundum S. Augustinum, S. Bernardum, & S. Thomam, aliosque Patres, non excusantur totaliter. Exemplum in materia pollutionis refert S. Petrus Damianus opusc. 7. c. 21. & 22, videlicet, *Quod quidam Eremita, cum tentaretur libidine, naturalis officij debitum estimaverit, semen egerere, quasi phlegma de naribus projiceret, quodque nesciendo peccaverit, & per simplicitatis imperitiam ceciderit, & damnatus fuit.*

Contra secundo: Ipse expertus fui, quod etiam impuberes se de hujusmodi tactibus impudicis accusaverint, & interrogati, quomodo sciant esse peccatum, responderint, se suspicatos fuisse, aliquid mali subesse. Tales sine dubio, non solum coram parentibus & honestis hominibus noluerint tales operationes exercere,

sed etiam ab iis sciri exercitas in secreto. Unde nihil ad rem facit, quod opponitur de exoneratione naturæ. Et videtur mihi, quod ab opponente non recedatur satis à propositionibus damnatis ab Innocentio XI, signanter 49. *Mollities jure natura prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sapè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Contendit enim, non posse adduci rationem urgentem, cur jure natura prohibeatur pollutio in omni casu. Ego autem contra existimo, summo Pontifici & sapientissimis Viris, qui hanc propositionem diligentissimè examinarunt, non defuisse rationem urgentem, ob quam judicaverint, etsi mollities non fuisset interdicta à Deo in sacra Scriptura, in nullo tamen casu esse bonam. Sed de his infra agetur latius. Legatur doctrina S. Augustini huic propositioni opposita, §. 4. infra, & perpendatur, malitiam pollutionis Ethnicos non ignorasse, ut constat ex illo Martialis de Pontico pollutionibus assueto:

Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,

Quantum ex animo concipis esse tuo.

Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,

Istud, quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Objicies sextò; Datur ignorantia invincibilis legis divinæ positivæ & Evangelicæ; ergo potest etiam dari ignorantia invincibilis legis naturalis. Probatur consequentia, quia non minus lex positiva divina, quam

quàm naturalis fuit ab æterno in Deo, cùm Deus non incipiat aliquid velle in tempore: Antecedens probatur ex Augustino, qui tract. 89. in Joan. de Judæis dicit: Nunquid sine peccato erant Iudæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? quis hoc vel stultissimus dixerit? sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine veluit intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent, sed quod adjunxit, atque ait: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, potest movere quærentes, utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur dictum est propterea ipsos non habere, quia venit & locutus est eis? pro meo captu, Dominus ordinante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.

Respondeo distinguendo antecedens: datur ignorantia invincibilis legis divinæ positivæ, & Evangelicæ sufficienter promulgatæ nego; datur ignorantia invincibilis legis divinæ positivæ & Evangelicæ non sufficienter promulgatæ, concedo antecedens; & nego consequentiam. S. Augustinus autem loco pro probatione antecedentis adducto intelligendus est de lege Evangelica non sufficienter proposita, & hinc ignora-

ta invincibiliter ab hominibus in statu legis naturæ, & scriptæ à Moysè promulgatæ, ut constat satis clarè ex textu. Unde magna est differentia inter ignorantiam juris divini positivi non sufficienter promulgati, & ignorantiam juris naturalis. Hoc enim jus, ut supra probatum est, impressum est cordibus hominum à Formatore Deo, secundùm Augustinum; ac proinde in se ipsis videre possunt, quid sit agendum, nisi voluntaria cœcitate oculos claudant. Lex autem Evangelica taliter non est impressa, nequè cum principiis naturalibus talem habet connexionem, qualem habet lex naturalis, juxta supra dicta: & hinc infideles in se videre non possunt, quòd teneantur acquirere cognitionem mysteriorum fidei supernaturalem, nequè ut ignorantia sit culpabilis, sufficit, quòd in ignorante detur potentia acquirendi scientiam valdè remota & obediencialis tantum. Quibus autem lex Evangelica sufficienter fuit promulgata, non possunt laborare ignorantia invincibili. Si enim ignorent, vel per superbiam contemnunt, vel nolunt diligentiam adhibere, & quærere, quòd ignorant; sed applicant se ad alia, ponuntquè circumfusæ Evangelii luci & Dei gratiæ obicem, sicquè ignorantia est voluntaria. Hinc S. Augustinus tract. cit. de similibus ait: *Sed non in eo sunt numero hi (id est in numero habentium excusationem) ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus, quòd & nunc facit: nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per Ecclesiam suam loquitur gentibus. Ad hoc enim pertinet, quòd ait: qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit.* Ex his colligitur, illa

illa nihil facere contra me, quibus probatur, secundum S. Augustinum dari posse ignorantiam invincibilem juris positivi divini, cum id non negem, & eundem locum, qui citatur, in eundem finem supra citaverim. Sed quod dicatur *mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. etiam à fidelibus invincibiliter ignorari*, non coheret cum doctrina sanctissimorum Doctorum Augustini & Thomæ, ut constabit ex illis, quæ §. 4. opponuntur propositioni damnatæ §. 4. probabitur enim ibi ex utroque Doctore, notitiam istorum Mysteriorum fidelibus necessarium esse necessitate mediæ ad salutem.

Objicies septimò : Potest aliquis accedens ad non suam excusari ab omni peccato, ob ignorantiam: ergo potest dari ignorantia invincibilis legis naturalis. Probatum consequentia: quia hujusmodi accessus prohibitus est lege naturali. Antecedens etiam probatur: quia accessus Jacob ad Liam non suam sic excusatur. Distinguo antecedens: potest aliquis accedens ad non suam excusari à peccato, ob ignorantiam legis naturalis, qua talis accessus prohibetur, nego: ob ignorantiam facti, concedo antecedens, & nego consequentiam; vel distinguo consequens: ergo potest dari ignorantia invincibilis legis naturalis secundum se spectatæ, nego; prout involuit factum, concedo consequentiam. Jacob enim non ignoravit jure naturali prohibitum esse accessum ad non suam; sed ignoravit invincibiliter, illam ad quam accessit, non esse suam. Factorum scientia dependet à sensu & experientia, quia homo sine

pec-

44
 peccato carere potest, non autem legis naturalis, quam
 cordi ejus impressit formator Deus. Sic etiam factum
 Abimelech, qui abstulerat uxorem Abraham, excusa-
 tum fuit. De quo loquitur S. Augustinus lib. 3. con-
 tra Julian. c. 19. dixerat Julianus, perfectam ignoran-
 tiam, justitiam nominari; quia dixit Deus ad Abime-
 lech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quod
 uxor esset aliena: & ego scribam, quia in corde mundo fe-
 cisti hoc. Respondet S. Augustinus: Domini verba vi-
 gilant, sed tu dormis, neque enim ait regi: sciebam quia
 cor habes justum --- sed sciebam, inquit Deus, quia in
 corde mundo fecisti hoc. Non omnia, vel quacunque alia,
 sed hoc, in quo adulterij scientiam non habebat. Huc
 etiam pertinet, quod S. P. dicit lib. 2. contra Crescent.
 c. 26. Si tunica ex latrocinio nesciens vestiretur, ex eo
 fit iniquitatis vestis, ex quo cognoverit, & ipse iniquus, nisi
 abjecerit, & qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo
 fit adulter, ex quo cognoverit, nisi discesserit. Et Epist. 48.
 Quis locus innocentia reservatur, si crimen est proprium,
 nescire alienum? nam & facta nocentium, que innocenti-
 bus demonstrari, vel ab innocentibus credi non possunt, non
 inquinant quemquam.

Objicies octavo: Hæc sententia est nimis dura;
 ergo &c. Respondeo, non debere videri durum ho-
 mini, vivere secundum legem à formatore Deo naturæ
 suæ insitam.

Objicies nono: Si non detur ignorantia legis natu-
 ralis invincibilis, sequitur hominem, qui operaturus er-
 roneè judicat, nisi hic & nunc ita operer, pecco contra
 legem:

legem; peccare, si operetur, quia, ut supponitur, agit contra legem, & etiam peccare, si oppositum faciat, quia agit contra conscientiam sive contra iudicium, quod à ratione errante proponitur nomine Dei, ut verum, & à Deo derivatum; sed hoc dici non potest; ergo potest dari ignorantia invincibilis legis naturalis. Major patet, minor probatur; quia homo sic operando redderetur perplexus, & necessario peccaret; ergo. Respondeo negando minorem, & dico cum S. Thoma ad Galatas lect. 1. *Nisi faceret hoc, ad quod inducit conscientia, peccaret mortaliter, non quidem ex genere operis, sed ex intentione operantis; & similiter si facit, peccat, quia huiusmodi ignorantia non excusat, cum sit ignorantia juris. Nec tamen est perplexus simpliciter, sed secundum quid, quia potest deponere erroneam conscientiam.*

Ex hæcenus dictis doctus & nullo præiudicio præoccupatus Lector facile intelligit, quam efficaciter responderit opponens quidam ad loca ex S. Augustino pro conclusione huius paragraphi producta, dum dixit *facilis est responsio ad objecta ex S. Augustino per distinctionem juris naturalis universalis & particularis, immediate, clarè, mediate, & obscure deducti ex principijs primis.* Fateor hoc facile dicitur; sed ab amantibus, & penetrantibus doctrinam S. Augustini non creditur: quia discipuli S. Augustini perpensis, ut decet, singulis adductis satis cognoscunt, mentem S. Augustini esse, quod ita lex naturæ scripta sit à formatore Deo in cordibus hominum, ut nemo ratione pollens permissus sit illam ignorare, tam quoad universalia principia, quam

conclusiones in particulari operabili deducendas, nisi liberè per peccata personalia tenebras rationi offundat, sicque actuale legis naturalis promulgationem sive dictamen rationis, per quod in particulari operabili dirigetur, impediatur.

Quæres: An ignorantia vincibilis sit speciale peccatum? Respondeo interdum esse speciale, interdum non. Speciale est, quando homo tenetur habere scientiam ex motivo specialis præcepti, quia tunc ignorantia est specialiter prohibita, & consequenter peccatum speciale. Talis est ignorantia illorum articulorum fidei, quorum fides necessaria est ad salutem, & eorum, quæ quilibet tenetur scire, ad rite fungendum officio suo. Unde si ex ejusmodi ignorantia aliud sequatur peccatum, erunt peccata duo specie distincta. v. g. si aliquis incidat in errorem contra fidem, vel malè absolvat pœnitentem.

Quando verò homo tantum obligatur ad habendam scientiam non ratione sui, sed ob exercendum, aut fugiendum opus, peccatum ignorantiae non participat malitiam distinctam à malitia operis, cujus causa est, & à malitia operis, quod scienter contra idem præceptum committitur; talis est ignorantia illius, qui ignorat esse diem jejunii, & comedit carnes, & qui projiciens lapidem per fenestram occidit transeuntem hominem. Licet enim non sit obligatus speciali præcepto ad habendam scientiam de homine transeunte, obligatur tamen non occidere, & ideò impedire causam occisionis; hinc si vincibiliter ignoret, & ex hac ignorantia

rantia

rantia sequatur homicidium , est ignorantia mala , malitia homicidii , licet aliam specialem malitiam ex speciali alterius virtutis seu præcepti motivo non contrahat.

Dices : Privatio scientiæ ; in qua consistit ignorantia , non est intrinsecè mala : ergo non est peccatum. Respondeo negando consequentiam : quia non requiritur ad hoc , ut actio vel omissio aliqua actionis dicatur peccatum , ut sit semper intrinsecè mala , ut patet in actionibus exterioribus lege positiva tantum prohibitis , quæ denominantur malæ & peccata à voluntate mala. sic etiam privatio scientiæ inesse debetæ est mala denominativè , quatenus procedit libere à voluntate non volente vel negligente acquirere scientiam.

Dices secundò : Ignorantia non tollitur per pœnitentiam ; ergo non est peccatum. Distinguo antecedens , non tollitur quoad materiale peccati

concedo , non tollitur quoad formale ,

nego antecedens & consequentiam.

PARA.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

An secundum Augustinum in concursu, & conflictu opinionum, licitum sit eligere & sequi minus probabilem faventem libertati, voluptati, & commodo, relictâ probabiliore favente legi naturali aut positiva, &c.

Questio hæc est tam gravis, ut teste Terillo, gravior & acrior controversia nunquam mundum impleverit. Agitur enim de cardine negotii animarum, & fundamento totius Theologiæ moralis.

Notandum est primò: Intellectum speculativum, secundum S. Thomam 1. p. qu. 79. a. 11. à pratico differre in hoc, quòd ille id, quòd apprehendit, ordinat ad solam veritatis cognitionem, hic verò ad opus.

Notandum secundo: ex eodem S. Thomâ ibidem art. 12. in corp. quòd, sicut prima principia speculabilium nobis naturaliter indita pertinent ad quendam specialem habitum, qui dicitur *intellectus principiorum*, ita etiam prima principia operabilium nobis naturaliter indita pertineant ad specialem habitum naturalem, qui dicitur *Synderesis*, cujus actus sunt instigare ad bonum, & murmurare de malo, quos ipsa non intermittit etiam inter densissimas peccatorum nubes, quibus oratio obscuratur.

Notandum tertio: secundum S. Thomam qu. 17. de verit. a. 1. conscientiam non esse potentiam aut habitum,

tum, sed actum, sive iudicium intellectus practici distantis hinc & nunc, quid sit agendum, aut omittendum; quod iudicium si sit conforme veritati objectivæ, & legi æternæ, est conscientia vera & recta: si autem non sit tale, dicitur erronea; & si error oriatur ex levissimis animæ se torquentis ratiunculis, dicitur scrupulosa. Si absque omni formidine de opposito conscientia dicat aliquid esse bonum vel malum, dicitur certa: si adhæreat uni parti ob verisimilitudinem cum formidine de opposito, dicitur conscientia probabilis. Si, vel ob defectum, vel æqualitatem motivorum, neutri parti adhæreat, dicitur conscientia dubia, & si motiva sint levissima, dicitur scrupulosa.

Notandum quartò, quòd secundum S. Thomam I. 2. qu. 19, a. 5. simpliciter omnis voluntas discordans à ratione sive recta, sive errante, semper sit mala; cum enim voluntas non feratur in objectum, nisi ut propositum, & moralitas aliter ab objecto non pendeat, si amplectatur hoc, quod conscientia dicat esse malum, peccat, etsi illud à parte rei sit honestum, sive legi æternæ conforme, quia ut §. præcedenti insinuatum est, lex æterna non derivatur in nos, nec promulgatur voluntati, nisi mediante ratione. Licet autem iudicium erroneum non derivetur à Deo, ratio tamen illud proponit nomine Dei, ut verum, & idcirco habens talem conscientiam æstimat, Deum illud præcipere, cuius oppositum facit; ac proinde graviter peccat contra conscientiam obligantem virtute præcepti divini.

Notandum quintò: Probabilitatem hinc sumi pro

D

verj

verisimilitudine, seu imperfecta imagine veritatis, & quamvis veritas sit simplex & indivisibilis, probabilitatem tamen posse remitti & intendi, prout minus vel magis, pro majori vel minori intellectus humani perspicacitate vel hebetudine, veritas aut falsitas perspicitur: ac proinde duas propositiones contradictorias posse esse simul probabiles, imò unam non posse esse probabilem, sive verosimilem, nisi opposita sit etiam talis. Si enim una sit certò vera, altera est certò falsa, & e contra; sicque neutra est probabilis. Sed quia nequeunt simul esse veræ & legi conformes, una semper est vera, & legi conformis; altera falsa, atque difformis, dum versantur in materia ad fidem & mores spectante; & interdum illa, quæ intellectui apparet probabilior, à parte rei est falsa, & contra legem.

Dixi, *Probabilitatem hinc sumi pro verisimilitudine, &c.* Quia interdum probabile sumitur pro irreprehensibili, & pro eo, quod dignum est, ut ab omnibus approbetur. Sic accipitur, dum dicimus, Clerici alicujus absentiam esse probabilem, qui justis de causis à loco residentiae suæ abest. Sic dicitur ab Apostolo 2. ad Timot. 2. *Sollicitè cura, teipsum probabilem exhibere Deo.*

Notandum sextò, Probabilitatem dividi in intrinsecam & extrinsecam; sive in naturalem & authenticam. Propositio probabilis probabilitate intrinseca dicitur, quæ nititur rationi gravi, sive magni ponderis; Probabilis probabilitate extrinsecâ sive authenticâ, quæ nititur gravi auctoritate Doctorum.

Notan-

Notandum septimò: Possè etiam dividi opinionem probabilem in quietam seu pacificam, & in agitatam seu turbatam. Illa dicitur, contra quam vel nulla, vel exigui momenti argumenta moventur; hæc, quæ gravibus argumentis impugnatur, sumptâ similitudine ab aqua quietâ & turbata.

Notandum octavò: In concursu contrariarum opinionum, illam dici stare pro lege, quæ agit, ut lex, de qua est quæstio, tunc obliget & locum habeat, sive quæ specificat actionem pro illicita; Illa verò contra legem stare dicitur, quæ asserit, legem in materiâ, de qua controversitur, non obligare, & desinere esse legem, sive quæ specificat actionem, de qua exercenda deliberatur, pro licita. Tuta dicitur, quæ non est obnoxia periculo incurrendæ indignationis divinæ vel humanæ. Probabilior autem, quæ nititur verosimilioribus rationibus, vel graviorum Authorum testimoniis. Ubi & hoc observandum. Ex pluribus rationibus posse interdum constari unam probationem solidam, & sufficientem ad judicandum, tam in foro interno, quàm externo. Potest autem contingere, ut sententia, quæ est tuta, sive quæ stat pro lege, sit minus probabilis non tantùm, sed etiam improbabilis, imò falsa; & econtra, quæ stat modo jam dicto contra legem, sit probabilior & vera. Interdum autem contingit opiniones utrimque pugnare pro lege. Sic Thomistæ affirmant, innocentem per publica allegata convictum posse damnari, & Scotistæ negant, non desumptis argumentis ex regulis probabilitatis, id est, iudicis reflexo reflexis, sed ex diversarum legum amore.

Illi enim judicant bonum publicum privati hominis juribus esse præferendum, hi volunt innocentiam non esse puniendam.

Notandum nonò: Vocem illam, *tutius*, posse duobus modis accipi; primò grammaticè, id est, comparative, sive ut positivum illi correspondens sit tutum. Secundò Theologicè & adverbialitè, ita, ut loco positivi ei correspondeat malum sive periculum peccati aut erroris.

Notandum decimò: Dubium esse motum intellectus veritatem inquirentis, & ob defectum motivorum, vel in concursu opinionum contradictoriarum, ob æqualitatem motivorum pro utraque parte, suspensum. Si desint motiva, dicitur dubium negativum; si æqualia sint, positivum. Solet etiam dividi dubium in dubium juris, quando dubitatur de legis existentia, sensu aut extensione, & in dubium facti, quando dubitatur de aliquo facto, & utrumque subdividi in speculativum & practicum. Illud dicitur, quando dubitatur de aliquo in genere an sit licitum. Hoc, quando dubitatur hîc & nunc in particulari operabili.

His notatis, sensus quæstionis supra positæ est hîc: An, dum homo deliberat, quid sit hîc & nunc agendum aut omittendum, & omnibus consideratis veritas dependet ex una propositionum oppositarum, taliter deliberanti occurrentium, & illa, quæ nititur graviore auctoritate & pondere rationum, stat pro lege, sive asserit, non esse licitum, & oppositâ minore auctoritate, & minus gravibus rationibus nixa asserit, licere; an, inquam, tunc possit homo licitè & tutò eligere

gere hanc, eamque sequi, relicta illa. Id posse, asserunt Recentiores Probabilistæ. Dico *Recentiores* : quia Probabilistarum aliqui sunt antiqui, aliqui recentiores. Antiqui fuerunt Ethnici, divisi in duas sectas. Aliqui enim admiserunt inter rationes probabiles sive verisimiles aliquam inæqualitatem, defectum, & excessum; tales fuerunt Academici, qui docebant, non posse inveniri veritatem, & hinc viro sapienti in omnibus rebus dubiis suspendendum esse iudicium, & acquiescendum in probabilitate. *Academicis*, inquit S. Augustinus lib. 2. cont. Academicos, c. 5. placuit, nec homini scientiam posse contingere, ---- Et tamen hominem posse esse sapientem, sapientisque totum munus in conquisitione veri explicari, ex quo confici, ut nulli etiam rei sapiens assentiatur. Erret enim necesse est (quod sapienti nefas est) si assentiatur rebus incertis. Et omnia incerta esse non dicebant solum, verum etiam copiosissimis rationibus affirmabant. ---- Hinc eis invidia magna conflata est: videbatur enim consequens, ut nihil ageret, qui nihil approbaret. ---- Hinc illi inducto quodam probabili, quod etiam verosimile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis asserabant, cum haberet, quid sequeretur. Veritas autem, sive propter naturæ tenebras quasdam, sive propter similitudinem rerum, vel obruta, vel confusa latitaret. Huic sectæ adhæsit Cicero; de quo S. Augustinus lib. 3. contra Acad. c. 15. dicit: *Clamat Cicero, se ipsum magnum esse opinatorem.* Altera secta fuit Scepticorum, & Pyrronianorum, qui inter rationes probabiles non distinguebant, neque ullum excessum aut defectum admittebant, sed vole-

bant esse æquales, & adiaphoras.

Opinatores, five Probabilistæ Recentiores sunt Viri Catholici, & docti; hoc potissimum sæculo exorti, & multiplicati, non ex uno statu hominum, sed ex diverso, id est ex statu ecclesiastico, & diversorum Religiosorum Ordinum familiis, ut probat Nicolaus du Bois, sacrarum Literarum in Universitate Lovaniensi Reginus Professor, in Tractatu ad Propositiones ab Alexandro VII. damnatas, & merito reprehendit eos, qui, si quid exorbitans in uno vel altero Scriptore alicujus familiæ legerint, velint esse communem illius familiæ doctrinam, cum non magis id sequatur, quàm, quod sit doctrina alicujus Universitatis, si aliquis illius Doctor eam docuerit. Merito etiam hac de causa arguitur à quodam Recentiore P. Georgius Rhodius, Societatis Jesu Scriptor, eò quod disp. 2. de actib. human. quæst. 2. sect. 3. asseruerit, sententiam suam de Tutò eligendâ opinione minùs probabili in concursu probabilioris & tutioris, esse doctrinam Theologorum Societatis; contrarium enim patet ex Epistolâ secundâ §. 4. Patris Mutii Vitelleschi, Prudentissimi Societatis Generalis, contenta in libro Antvverpiæ impresso Anno 1653 pag. 432. ut testatur Vir eruditissimus Stephanus Gradius, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in disputatione de Opinione probabili, cum P. Honorato Fabri, Anno præterito Romæ impressa, cap. 5. Movit enim ibi Pater Generalis suos his verbis: *Qui docent, scribuntvè, minimè hac regulâ & normâ in delectu opinionum utantur: TUERI QUIS PO-
TEST:*

TEST: PROBABILIS EST: AUCTORE NON CARET: VERUM AD EAS SENTENTIAS ACCEDANT, QUÆ GRAVIORUM MAJORISQUE NOMINIS DOCTORUM SUFFRAGIIS SUNT FREQUENTATÆ, QUÆ BONIS MORIBUS CONDUCCUNT MAGIS, QUÆ DENIQUE PIETATEM ALERE, ET PRODESSE POSSUNT, NON VASTARE, NON PERDERE. *Quoniam verò Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent de sancto Thomâ sequendo, de non promovendis ad Cathedras, aut etiam removendis, qui ejusdem doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim, si NOVITATUM AMANTES deprehendantur, qui nullâ ratione sunt ferendi. Reliquum mihi præterea nihil est, nisi, ut hac ipsa serventur, &c.* Et ibidem ait: *A sententijs nonnullorum in Societate, in rebus præsertim ad mores spectantibus plus nimio liberis, non modò periculum esse, ne ipsam evertant, sed ne Ecclesia etiam Dei insignia afferant detrimenta.* Cujus monitionis videtur fuisse memor P. Hieronymus Placentia, ejusdem Societatis in Academia Parmensi Theologiæ Professor, qui in censura libri patris Mercori, Ordinis S. Dominici, & acerrimi vagæ probabilitatis Impugnatoris, ait: *Sentiet Christiana Ecclesia plurimùm se lucubrationibus hisce debere, quod dum ex lege opinandi licentiam multiplici solidarum rationum vallo coercent, avita morum integritati aureas moliantur conspices in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, &c.*

Advertat hic prudens lector, & judicet secundum desiderium opponentis cujusdam, qui in disputatione aliqua proponit hanc quæstionem: *An Doctores Societatis sint arguendi temeritatis in nimia licentia opinandi, & respondet, Authorem dissertationis de Radice propositionum damnatarum nihil minus profiteri, quam, ut velit Societatis Doctores in suspicionem vocare. Sed quid inquit, refert seu aperto Marte, seu dolose, & per insidias ladamur? judicet prudens lector, & productis his à me allegatis ex Epistola Generalis Mutii testimoniis subjicit: Author quomodo excusat Iesuitas? Respondeo, me Iesuitas taliter excusasse, qualiter excusavi religiosos aliorum ordinum & proprii & qualiter ipse opponens eos excusavit, imò magis, ut patebit. Sed docet, ait, & relinquit conclusionem faciendam, id est, Author dissertationis, conclusionem videlicet hanc, quam ipse opponens fecit. Prævia enim mordaci invectione in Vincentium Baronium Dominicanum, tanquam hominem tenebris dignum (quem alibi comparat Molinæ in calumniando) subjungit: Quod igitur officii Author dissertationis omisit: nego hic præsto, & respondeo, quod Mutius Vitelleschus reprehendendo aliquos Sociorum laudabiliter fecerit (& ego satis dixi, quod laudabiliter fecerit, dum eum nominavi prudentissimum Generalem) pro cura, quam erga Societatem gerebat. Vbi rosa, ibi etiam spina, id est, in tanto ingeniorum præstantissimorum concursu, qualibus laus Deo Societas abundat, non potuerunt non aliqua subinde extravagantia & prona in nimiam sentiendi (quomodo excusat &c?) licentiam reperiri, quæ proinde constringenda fuerant, ut ad communem*

munem aliorum è Societate Doctorum cautelam, & circumspeditionem reducerentur. Hæc est conclusio, ob cuius omissionem Authori dissertationis istam exhibuit reverentiam memor obligationis. Prævaluit concupiscentiæ impetus. Non fuit contentus hac assertione mea, probabilis dari, non in uno statu hominum, sed in diversis etiam religiosorum familiis; nec relatione clarorum verborum P. Generalis, sed voluit hanc deductionem apertam, aliqua extravagantiâ, & prona in nimiam sentiendi licentiam ingenia, etiam inter Doctores Societatis reperiri, autoritate P. Generalis constringenda, & reducenda ad aliorum cautelam &c. Sicque excusari Doctores Societatis; & quia hæc non dixi, dolose & per insidias læsi, quod non magis intendi, quam lædere Doctores mei Ordinis. Si talia dixissem, ipso iudice non læsissem, nisi fateatur, se taliter loquendo eos læsisse, per insidias, vel potius aperto Marte, si Author læserit per insidias, iudicet prudens lector &c.

Præterea mihi succenset, quod dixerim P. Rhodium merito fuisse reprehensum, quod asseruerit, sententiam de tuto eligenda minus probabili in concursu tutioris & probabilioris esse doctrinam Societatis. Addo, inquit, iteramque affero, sententiam probabilisticam nempe de tuto sequenda minus probabili &c. Non solum esse communem, sed adeò unanimiter eam teneri à Doctoribus Societatis, ut nemo penitus discrepet, id quod scire poterat, & debebat, & utique sciebat Author &c.

Hæc præfidenter asserit: & si verum sit testimonium ejus, oportebit me agnoscere errorem. Sed erit error excusabilis; quia est quæstio facti, an scilicet

omnes Doctores Societatis nullo penitus discrepante sint vagæ probabilitatis defensores ! In quæstionibus facti potest dari error invincibilis. Non habeo, multò minus legi, omnes omnium Doctorum Societatis libros, quomodo ergo scire poteram, debebam, & sciebam? & ipse assertor nescivit, etsi iterum atque iterum asseruerit, ut constabit. Si igitur probavero, quod aliqui Doctores Societatis non sint vagæ probabilitatis defensores, cognoscat prudens lector, quod hic assertor cum Rhodio merito possit reprehendi, quod tam constanter iterum atque iterum asseruerit, omnes Doctores Societatis, nullo penitus discrepante, tenere hanc sententiam. Adde igitur iterumque assero, quod dictus assertor iterum iterumque asserendo, iterum iterumque erraverit, & probo, incipiendo ab illo, qui fuit Societatis præclarissimum lumen & Eminentissimus Ecclesiæ Cardinalis, videlicet Bellarmino doctrina & pietate clarissimo, qui in opusculo ad Episcopum Theanensem nepotem suum sic ait, *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant, & si rei certitudo non possit ad liquidam apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, (qualis non est minus probabilis stans pro libertate & commodo contra legem) & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali preposita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute aeterna tractatur, & facillimum est, conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conscientiam non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur & ignis non extinguitor.*

Huic

Huic adde P. Paulum Comitolum qui lib. 5. Resp. mor. sententiam de probabiliore opinione sequenda, ethice Christianae caput, ad reliquas Christiani officii tractandas dijudicandasque controversas per necessarium merito appellat, & in oppositam sententiam invehitur tanquam scdam prolapsionem, qua à ratione discedimus, veritatem contemnimus, vel saltem ejus agnoscenda vias obstruimus, aeternae legi contumeliam imponimus, sceleratos illos judices imitamur, qui contrariis testibus auditis eorum testimonium sequi vellent, quod minus verisimile appareret; eorum etiam imprudentiam sequimur, qui quod verisimilius malum est, eligunt, bono securo praetermisso.

Huic junge, Celladeum, qui in lib. de recta morum doctrina lugduni Anno 1670. edito apud Petrum Chevallier, ut refert Jacobus à S. Dominico Ordinis Prædicatorum, nobiscum sensit, & efficaciter & apertè vagæ probabilitatis nævos manifestavit. Junge ex eadem Societate P. Michaellem Elizardam in opere de recta morum doctrina, & candidatum Philaethem seu P. Andream Blancum, qui, teste Mercoro, hujus nostri sæculi libertatem in moralibus in Italia compefcuit primus. Quid senserit P. Hieronymus Placentia patet ex supra citata approbatione lib. P. Mercori, & quid censerit Societatis Generalis Mutius, constat similiter è dictis; & si quis desideret scire, quod ipse sanctissimus Societatis Fundator judicaverit, refert laudatus Jacobus à S. Dominico, verba desumpta ex 4. part. c. 5. num. 5. constitut. sequantur (id est, professores Societatis) in quavis facultate securiorem doctrinam, qualis

qualis est in concursu sententiarum probabilior, meo iudicio, & intra citandorum accipiendo ly securiorem adversativè, prout opponitur non securæ, qualis est minus probabilis, ut probabitur.

Non dubito, quin plures sint in Societate sententiæ nostræ patrocinantæ, sed sufficiunt horum testimonia, ad probandum, quod memoratus Assertor, iterum, iterumque asserendo, iterum, iterumque vincibiliter, vel invincibiliter erraverit.

His omnibus diligenter perpensis, iudicet prudens lector, an hæc propositio: *Author dissertationis dolosè & per insidias læsit Doctores Societatis*, sit practicè probabilis, stando definitioni asserentis, id est, an nitatur motivo gravis simpliciter momenti, sive potente movere virum pium & doctum, ad assentiendum? & quomodo cohæreat ista propositio cum hac, quæ de eodem habetur in dicta disputatione: *mihî valdè probabile est, Authorem dissertationis sine animi malignitate scripsisse?*

Formavit & publicavit plures practicè scilicet probabiles, de aliis viris, sine addito fundamento, quæ iudicio virorum prudentium etiam omitti debuissent. Scio, quid sentiant de tali docendi modo prudentes, etiam illi, qui traditas sententias non averfantur. Poterat sine his, per quæ auditores & lectores prudentes non ædificantur, nec alliciuntur, sententia defendi. indigere videtur reductione ad aliorum sui Ordinis circumspctionem. His præmissis

Respondeo & dico: in concursu opinionum contradictoriarum non est licitum sequi minus probabilem, faventem libertati &c. relicta probabiliore favente

vente legi &c. sive possit dari ignorantia invincibilis legis naturalis, sive non.

Omiseram in dissertatione de Radice propositionum damnatarum citationem authorum patrocinantium huic sententiæ; contentus Autoritate S. Augustini, de cujus præcipuè mente statueram inquirere. Idem autem disputator in disputatione de conscientia probabili supplere volens defectum asseruit, præcipuos patronos hujus sententiæ esse Jansenistas, & quibusdam viris Ecclesiasticis & religiosis nostræ sententiæ propugnatoribus, diversarum universitatum Doctorum, & aliorum eruditissimorum virorum judicio, doctrina & pietate eminentibus, conatus fuit inurere notam eminentiæ inter Jansenistas. *Adducemus, inquit, argumenta sententiæ negativæ. Primum desumitur ab autoritate eorum, de quibus constat, quod illam sententiam docuerint, & libris editis defenderint, qui valdè laborant, ut S. Augustinum & D. Thomam trahant ad suas partes (ipsi potius veritate proposita amantes trahunt suaviter) de quibus postea. Præcipui patroni sententiæ negativæ sunt Iansenista, quos inter eminet Sinnichius Doctor Lovaniensis, item Ludovicus Montaltius, Prosper Fagnanus, Merenda, Vincentius Baronius, Fictus Philalethes Carmelita Discalceatus, Mercorus, Goneth, Stephanus Gradus, & alij pauci, inter quos recentis dissertationis Theologicæ Author quæ inscribitur ad mentem S. Augustini, de radice intollerabilium &c. propositionum*

Has propositiones tanquam practicè probabiles formavit & audacter publicè asseruit sine ulla proba-
tione

tione addita. Possset hic majori fundamento exclamari: *qualia verba exquiruntur, ut invidia creetur contrariæ sententiæ, & decipiatur simplex lector!* sed audeamus, qualia sint aliorum virorum de citatis & culpatis iudicia. Ut à postremo incipiam Abbatis Stephani Gradii, bibliothecæ Vaticanæ præfecti, libellum de opinione probabili habeo, dedicatum Eminentissimo Card. Cibo, in ipsa urbe Romana, sub hoc summo Pontifice, editum, à S. Congregationis iudicis Consultore, ex commissione Reverendissimi P. Magistri Palatii, lectum & approbatum his verbis: *Librum Abbatis Stephani Gradii viri doctissimi, cum P. honorato Fabri de opinione probabili disputantis diligenter evolui, & attentè perlegi: & argumentum omnium gravissimum disertè, nervosè, atque subtiliter, modestè quoque, & verècundè in eo tractari animadverti. Nihil verò quod sanæ doctrinæ, piisque & Christiani hominis moribus non usquequaque conveniat, reperi &c.* & Magister S. Palatii P. Raimundus Capisuccus, qui modo est Eminentissimus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, iussit imprimi Opus Theologicum P. Goneth adhuc viventis, ut existimo, in Academia Burdigalensi S. Theol. Professoris & Antecessoris, in quo propugnat sententiam de sequenda opinione probabiliore, non solum à privatis Doctoribus, sed à diversarum etiam Academicarum facultatibus summoperè commendatur. *Per omnia, atque quæ facultas Academicæ Parisiensis, sic sunt in hoc opere concinna, & fidei consona, ut nihil nervosius, nihil elaboratius, nihil argutius, solidius nihil. Hujus clypei calatura ad instar veterum, perhibet communia fidei dogmata,*

sensu

*sensa Patrum enodata, morum beneplacita regulata, nil denique desideratur, quo scientissimi evadant sacris innati concertationibus, -- & quia adoptivo jure inter filias suas connumerat Academiam Burdigalensem Alma Facultas Parisiensis, hinc est, quod prae laudatum Professore e-iusdem Academia Gonetium quasi conspicuum inquitinum, benevolentia sua gratia cumulatum voluit, ut qui divinae scientiae apicem nullo refragante calculo, summi sui beneficio ingenij attigisse noscitur. Consonat Academia Burdigalensis his verbis: Quinque Tomos in universam Doctoris Angelici Summam diligenter evolvimus, & quaecunque in illis doctè, perspicuè, & subtiliter agitantur, ad amussim expendent, nihil fidei, nihil pietati, nihil probis moribus adversum; sacris paginis consona omnia judicavimus, -- quae unanimi Studiosorum omnium plausu praelegentem audivimus, ea probamus &c. Nec minoribus laudum encomiis celebratur in compendio suae Theol. Anno proximè præterito in Gallia, & modò Coloniae typis Arnoldi Metternich, in lucem edito, à gravissimis & doctissimis Viris approbato, his & similibus verbis: *Spes altera Ordinis Praedicatorum: Lux nova Theol. Thomistica: Thomas avi nostri, humillimus Dominici filius, ejusque virtutis ditissimus haeres, novatorum oppugnator invictus, Ordinis columen, Patriae decus, gentis suae honos, & gloria Christiani orbis, &c.* Ecce, quàm discrepantia sint aliorum de hoc præclaro patre judicia à judicio opponentis, qui eum inter Eminentes Jansenistas, id est, adherentes propositionibus à Sede Apostolica damnatis, aut eas in dubium revocantes, numerat.*

Opus

Opus P. Julij Mercori ejusdem Ordinis (quod inscribitur : *Basis totius Moralis Theolog. hoc est praxis opinionum limitata*, approbatur à supra citato P. Hieronymo Placentia Societatis Jesu, in Academia Parmensi S. Theol. Professore his verbis: *Librum hunc Reverend. P. Magistri Mercori Ordinis Prædicatorum Inquisitorum Mantuæ, cui titulus, Basis totius Moralis Theol. pari voluptate ac sedulitate jussus perlegi. Cumque sapientissimi Authoris perspicax ingenium, peracre judicium, dicendi claritatem, disputandi methodum, doctrinæ soliditatem, rationum ubertatem, ac robur demiratus, nihil non fidei Catholicæ consentaneum, nihil non ad pietatem præclaro emolumento profuturum invenerim, ut quam citissimè publici fiat juris, exopto. Sentiet Christiana Respublica plurimum se lucubrationibus hisce debere &c. Parma 18. Majj 1658. Hic vir à doctissimo illo Societatis Professore tantoperè laudatus, judicio opponentis, Eminent inter Iansenistas. Ad P. Carmelitam Discalceatum quod attinet, observo pariter librum ejus, qui inscribitur *Triumphus Thomistarum*, ab Ordinatione, variisque Doctoribus esse approbatum. Observo præterea, fuisse ab adversariis ejus accusatum, quia in libello, cui titulus: *Thomistarum triumphus in perpetuum firmatus*, approbato, Author ad lectorem sic præfatur: *Quis speravit in Domino & confusus est? libelli mei ab uno hinc anno & amplius fuerunt ad sacram Indicis congregationem delati. Speravit anima mea in Domino, & sustinuit anima mea in verbo ejus, quod ore supremi Vicarii sui de doctrina S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Ecclesiæ sti prætulit: præ cæteris excepta Canonica habens veritatem**

sententiarum, ita, ut nunquam, qui eam tenuerit, à trā-
 mite veritatis deviaverit, & qui eam impugnaverit,
 semper fuerit de veritate suspectus. *Qui salvat speran-
 tes in se, eripuit me, -- in sacra Indicis Congregatione
 habita coram Eminentissimis & Reverendissimis S. R. Ec-
 clesie Cardinalibus in Profesto S. Thomæ, unici præcepto-
 ris & informatoris mei evaserunt libelli mei ab omni cen-
 sura immunes, & doctrina eorum approbata ut proba-
 bilis.*

Si ita est, quomodo ergo verificabitur, quòd hic
 Authox sit *Eminens Jansenista*. Sed non indiget me de-
 fensore, ipse vivit, & est me fortior ad pugnandum.

Vincentii Baronii Ordinis Prædicatorum vidi O-
 puscula septem à Doctoribus approbata & laudata
 cum hoc elogio, *quòd se exhibuerit in libris suis ubique
 integrum & castissimum morum præceptorem, quòd vali-
 dus fuerit corruptelarum inductarum impugnator, purio-
 ris & solidioris doctrinae explanator, adversus versatiles
 laxitates &c. quas ille in Jansenio à Summis Pontifi-
 cibus damnatas propositiones docuerit, aut in dubium
 revocaverit, nescio. Opponens asserit, esse Eminen-
 tem Jansenistam, & non probat. Merenda à viris aliis
 vocatur quidem *Eminens*, sed non *Jansenista*, sed in
 Academia Bononiensi *Eminens*, id est, primariæ juris
 Cathedræ moderator. Dicit in sua disputatione, se
 nolle specificare eos, qui fuerint *vagæ probabilitatis patro-
 ni*, quia *charitati consultius, eos præterire, &c. judicio
 virorum prudentium consultius fuisset charitati, &
 justitiæ, si Patres illos præclaros, quorum humilis posset
 esse discipulus, taliter non specificasset, & alia plura om-
 misit.**

mississet. *Circumspectio* defuit. Montaltii libros non vidi. Si fuerit ille Jansenista, saltem in hoc non fuit, si docuerit, non esse licitum in concursu opinionum sequi minus probabilem, faventem libertati, commodo, &c. relicta probabiliore, stante pro lege, quia hæc est doctrina Augustiniano-Thomistica, ut probabitur.

Prosperi Fagnani Opera habeo, Alexandro VII. nuncupata, ex commissione M. Sacri Palatii, modò Eminentissimi Cardinalis Capisucci, lecta à P. Hieronymo Nicolio Romano, Ord. Erem. S.P. Augustini, S. Theol. Lectore, J. U. D. nec non suæ Congregationis in Romana Curia procuratore Generali, & approbata tenore sequenti: *Commentarios sive lecturas in s. Decretalium libros compositas ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Prospero Fagnano, Viro integerrimo, ac ob profundam Vtriusque Iuris, aliarumq. scientiarum peritiam, & res in Vrbe præclare gestas nulli prorsus ignoto: ut qui per multos annos sacrarum Congregationum Concilij, & Episcoporum ac Regularium successive fuit, nunc verò S. eisdem Congregationis super statu seu reformatione Regularium, nec non sacra Visitationis simul est à secretis, & insuper S. Pœnitentiaria Apostolica sigillator. Quas lecturas in omnibus inveni consonas orthodoxæ fidei, bonis moribus, S. Canonibus, œcumenicis Concilijs, Summorum Pontificum Constitutionibus, ac S. Congregationum Decretis ac Declarationibus, nec non in penetrandis ac enucleandis intimis, ac genuinis S. textus sensibus adeo singulares & efficaces, ut Iuris Lumen, anima Canonum, difficilis & an fractuosi forensium disceptationum itineris fidißimus, ac certissimus dux, non immeritò*
nuncu-

concupari valeant. -- *Præcipuè admiratus sum insignes de Annatis & Opinione probabili tractatus. -- Quorum alter (id est de Opinione probabili) solidam rationum ac fundamentorum catenam delectatione præcipuam, utilitate præclaram exhibet contra sensim serpentem animarum perniciem, antithodum, remedium q₃ præsentaneum & efficax, &c.* Hic Illustrissimus Vir, & variorum pontificum Minister, tot laudibus, non solum ab hoc approbatore, verum etiam à plurimis aliis gravissimis viris celebratus, iudicio Opponentis, non solum est *Eminens Iansenista*, sed etiam *aures ejus non patuerunt bonis Magistris, & calamus ejus prurivit ad maledicta*, Hæc asseruit, & non probavit, existimans fortè, sicut olim sufficiebat, pythagoram dixisse, ita suam auctoritatem sufficere, ad reddendas hujusmodi propositiones practicè probabiles, cum doceat, unicum etiam virum doctum & probum (nisi torrens Doctorum contradicat) sufficere, ad reddendam propositionem practicè probabilem, si diligens adhibuerit examen, in quo, ut nihil gravius dicam, iudico Opponentem defecisse, & hinc has illius assertiones de viro hoc & aliis prolatas fuisse, absque motivo sufficiente, ad movendum virum doctum & pium, etsi fortè ipsi visum fuerit contrarium; sicut etiam visum fuit illis, qui propositiones damnatas à Summis pontificibus docuerunt, scilicet assertiones suas niti motivo simpliciter gravis momenti. Non fuit satis memor hujus sui dicti: *Qui bona fama possessionem cupit retinere, debet à carpenda bonorum virorum vita abstinere.* Judicet prudens Lector, an de hujusmodi assertis gloriari,

fit in Domino gloriari? *Sic oportet &c.* scio, ubi, quis, & coram quibus &c.

Sinnichius Doctor Lovaniensis (quem primo loco ponis inter eminentes Jansenistas,) scripsit Opus, cui titulus est: *Saul Exrex, & Goliathismus profligatus*, à pluribus viris doctis laudatum, & Librorum Censore ordinario approbatum. An hic vir, post Summorum Pontificum bullas, docuerit propositiones damnatas, aut eas in dubium revocaverit, mihi non constat. Unusquisque præsumi debet bonus, donec probetur esse malus. Opponens asseruit, & non probavit. Dixi *propositiones damnatas &c.* quia si illos vocet Jansenistas, qui tradunt doctrinam, quamcunque à Jansenio etiam traditam, & non prohibitam, posset etiam ipse vocari Jansenista, imò Lutheranus & Calvinista, cum plura doceat, & credat, quæ ipsi verè docuerunt. Non enim omnia à talibus asserta, fuerunt falsa & hæretica; sed fuerunt vera mixta falsis, juxta illud S. Augustini lib. 3. *Quæst. evang. c. 4. Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.*

Si igitur liceat cum hæreticis & gentilibus in aliquibus, si vera sint, sentire, cur non cum viro Catholico, qui omnia ecclesiæ Catholicæ & Sedis Apostolicæ Censuræ submitit, etsi in aliquibus fuerit sine pertinacia lapsus, quod & sanctis patribus accidit. Qui argumentantur hoc modo, tam efficaciter concludunt, quam si probarent, Authorem aliquem esse Jansenistam ex hoc, quòd in eo legerint nomen, *Augustinus*, eò quòd hoc etiam in libro Jansenii habeatur. Unde hujusmodi impertinentibus assertis non terrentur viri
cordati

cordati à defensione antiquæ doctrinæ. Quidam importuni, (inquit Contensonius, vir doctus & pius Ordinis Prædicatorum) & impertinentes recentiores, argumentis destituti, sententiam negantem, dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, Iansenismi pueriliter insimulant, & sicut icterio laborantibus, sufflavus semper & ubique color occurrit: ita illi, quamvis sententiam suis præjudicijs adversam Iansenismi, & novi dogmatis ineptissimè notant. Pueriliter & ignoranter nostra sententia author fingitur Iansenius, atque impertinenter tam antiquæ doctrinæ Iansenismi nota inuritur, ut illi vulgò creetur invidia, -- fortè Iansenista fuerunt Alexander de Hales, Gratianus, Durandus, Alphonsus à Castro, Antiochodorensis, Albertus Magnus, Gabriel, Hugo Victorinus, Guilielmus Parisiensis, Adrianus, S. Bonaventura, (& ipsemet S. Augustinus, D. Thomas, & S. Bernardus.) Fortè Iansenista fuit Gerson, qui lib. de vita spirituali, lect. 14. coroll. scripsit: Quidquid sit de ignorantia facti, aut juris humani positivi, concors est sententia, nullam in his, quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem. (Adde Guilielmum Estium, qui in 2. dist. 22. §. 9. ait: Inter jus naturale & positivum hoc est discriminis, quòd jus naturale obliget omnem hominem, quatenus rationem participat, absque alia ulteriori obligatione. -- Ex quibus patet, ignorantiam legis naturalis semper peccatum esse, sive externa accesserit doctrina, & instructio, sive non.) Certè nisi præjudicatarum opinionum amor adversus antiquæ doctrinæ studium invalescat, si ad illam, quæ Theologos decet, æquitatem nos reducamus, semotis odio, contentione & litibus, quibus omne

judicium exoculatur, fatebimur, sententiam nostram ab omnibus Theologiae luminibus longè ante Iansenium uno fuisse ore predicatam; & cum tot habeam securitatis fidejussores, libenter cum Augustino dixerim arguenti, VIDE, CUM QVIBVS SIT MIHI CAUSA COMMVNIS, QVAM NVLLA CONSIDERATIONE SOBRIA PVL-SARE CALVMNIIS ET EXPVGNARE CONARIS. Hac Contensonius.

Audiamus, quos Jansenistas citet culpatus ab Opponente Gonethus, pro sua sententia negativa in Manuali recenter edito, supra laudato, Respondeo, inquit, negativè cum pluribus tum antiquioribus, tum recentioribus Theologis & Casuistis pietate ac eruditione clarissimis. Ita enim docet s. Antoninus l. p. tit. 3. c. 10. Reg. 4. Scotus infra referendus, Gabriel in 4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 2. in 3. probat. 1. conclus. Sylvester V. Opinio, qu. 2. Conradus de contradictibus, tractatu 7. qu. 100. conclusione 1. Corduba in suo questionario lib. 2. qu. 3. Navarrus in summ. Hispan. c. 28. addit. ad num. 183. c. 27. ut citat contrariae opinionis assertor. Sanchez in Decal. lib. 1. c. 9. num. 13. Adde ex Contensonio, Henricum Gandensem, quodlibeto 4. q. 33. Gersonem tract. 39. art. 10. Joannem Majorem in prol. 4. sent. qu. 2. Adrianum in quaest. de restitut. panormitanum, in c. capellanus, de feriis. Adde Cajet. in sum. V. Opinionis usus. Solum l. 3. de just. q. 5. a. 5. Tabiena V. Opinio. plures ex recentioribus refert laudatius Goneth in Clypeo suo, uti & Ordines religiosos, qui in suis Constitutionibus aut Capitulis Generalibus suis subdicitis praeceperunt, ut in controversiis sequantur opiniones
magis

magis probabiles: inter quos Ordines numerat Ordinem Sanctissimæ Trinitatis, Theatinorum, imò & suum, quem ait ex summi Pontificis Alexandri septimi præscriptione in Comitibus Generalibus Anno 1656. sic decrevisse: *Caveant ab omni pruritu exoticarum, minusque cum littera S. Thomæ coherentium opinionum; præcipue verò in moralibus, ubi pressius de salute ac indemnitate animarum agitur. Porro in his studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas, abstineantque à paradoxis monstris recentium placitorum, seu problematum, quæ magis vanitati, ac periculosa ostentationi militant, quàm veritati. Denique satagent non tantum fidelissimè in omnibus adherescere sanæ doctrinæ Angelici nostri Præceptoris, quam ille ex limpidis ac incorruptis sanctorum Patrum fontibus integerrimè in alveos suorum operum corrivavit, &c.* Si talia referrem fuisse ordinata à Superioribus Societatis, opposuisset, me dolosè, & per insidias læsisse Doctores Societatis. An hos præclarissimos viros ex universo Christiano Orbe congregatos, sententiæ, quam tuemur, per sua decreta patrocinantibus numerabit etiam inter Jansenistas? patet ex his, quàm verè dixerit, *esse tantum pauculos viros bonos hujus sententiæ propugnatores serios.* Annumerandus quoque est patrocinantibus huic nostræ sententiæ Dominicus Gravina, ex Ordine etiam Dominicanorum, qui libro 4. sui Cherubim paradisi ait: *Sunt qui putant ad sequelam cujuscunque opinionis salvari se posse in conscientia, qui tamen tuti non sunt, & ad inferos tendunt, -- quantum ad nonnullos scriptores, sunt, qui sub specie opinionis probabilis venditarunt multa, quæ ab-*

stinentiam & jejunia pessundant, pudicitiam emolliunt, prudentiam hujus seculi extollunt, & justitiam, tam distributivam, quam commutativam pervertunt, &c.

Possit & numerari inter patrocinantes ex eodem Ordine Joannes à S. Thoma. Licet enim disp. 12. in 1, 2. art. 3. videatur favere sententiæ minus probabili, tot tamen adhibet limitationes & cautelas, ut omnibus consideratis possit inter tutas numerari. Ubi inter cætera docet, *Sanctorum doctrinam alijs esse præferendam*, & deplorat modernorum Caluistarum laxitatem, atque *juxta Apostoli impletum vaticinium, coacervari magistros prurientes auribus, & acervi nomine multitudinem laxorum esse ab apostolo figuratam*, &c. Et alii existant in hoc religiosissimo Ordine vagæ probabilitatis impugnatores præter citatos.

Ex Ordine S. Francisci FF. Minorum Conventualium junge recens creatum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Eminentissimum, Laurentium Bramcatum, de Laurea, qui Stephano Gradio Author fuit, ut perseveraret in concepta sententia de non sequenda minus probabili, &c. ut ipse testatur in supra citato Opusc. c. 31. dicens: *Authores gravissimos habeo in ea (id est sententia de probabiliore &c. sequenda) qui me ad perseverandum in suscepto proposito verbis amantissimis adhortantur, --- alter horum est Laurentius Bramcatus de Laurea, collega in præfectura Bibliothecæ Vaticanæ meus, --- Vir excellenti ingenio, exquisitaq; doctrina: ad hac usum maximarum rerum, quibus ille tum ratione sui muneris dicenda in Conventu Cardinalium S. Officij sententia, tum extra Ordinem à Principe, Patribusq; penè quotidie*

adhibetur, *vetus istius vestrae rationis* (id est, sententiae de tuto sequenda minus probabili &c.) *adversarius*, ut egregia ejus ingenij monumenta publica luci commissa declarant; nempe in Comment. ad lib. 3. sentent. tom. 2. disp. 11. art. 4. §. 3.

Puto hæc sufficere, pro informatione eorum, qui allegata verba scripserunt, legerunt aut lecturi sunt, de *patrocinantibus Iansenistis & pauculis viris bonis &c.* Nunc ad probationes conclusionis procedendum est.

Probatur primò: Quia in primis taliter operans, juxta opinionem minus probabilem & stantem contra legem, non excusatur per ignorantiam invincibilem; quia talis ignorantia Juris naturalis &c. Non datur secundum S. Doctorem, ut constat ex §. præced. & quamvis daretur, hic tamen pro excusatione allegari non posset, ut patebit ex infra dicendis, ergo &c.

Probatur secundò: Quia si ille, qui in concursa opinionis probabilis, & probabilioris faventis Legi, eligit minus probabilem, faventem libertati, non peccet, ideò est, quia cum agit quisque, quod ei videtur probabile, non peccat; sed hoc est contra S. Augustinum, ergo &c. Major est doctrina Opinatorum sive Probabilistarum tam Recentiorum, quam antiquorum, quorum, testante S. Augustino lib. 3. cont. Acad. c. 16. hoc fuit axioma: *Cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat.* Minor probatur ex dictis S. Augustini ibidem, sic enim discurret: *Id igitur audiens adolescens, id est memoratum axioma, insidiabitur pudicitiae uxoris alienae: Te te consulo M. Tulli, de adolescentium moribus, vitæque tractamus, cui educanda*

atque instituenda omnes illa litera tua vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? At illi probabile est --- adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam. Qui, deprehensus si fuerit, ubi te inveniet, a quo defendatur: quanquam etiam, si inveniat, quid dicturus es? Negabis profecto. Quid si tam clarum est, ut frustra inspicere? Persuadebis nimirum tanquam in Cumano Gymnasio, atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imò etiam nec errasse quidem, non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit, probabile sibi occurrit, secutus est, fecit: --- iste autem maritus homo fatuus perturbat omnia litibus, pro uxoris castitate proclamans --- hoc illi iudices, si intellexerint, aut negligent Academicos, & tanquam crimen verissimum punient, aut eisdem obtemperantes verosimiliter hominem probabiliterque damnabunt, ut iam quid agat iste Patronus, prorsus ignoret. Cui enim succenseat, non habebit, cum omnes se nihil errasse dicant, quando non assentientes id, quod visum est probabile, secerint. --- Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quae fieri aut cogitari possunt. Flagitiis, aut facinoribus, quae paucis verbis, & quod est gravius apud sapientissimos iudices defenduntur. --- Quomodo enim non facerem, quod probabile visum est. Qui autem non putant ista probabiliter persuaderi posse, legant orationem Catilinae, qua Patria parricidium, quo un continentur omnia scelera, persuasit. --- Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si hac ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum fuerit, esse faciendum, tantum nulli quasi verò assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur. Per-

Perpendenti diligenter hunc S. Patris discursum , & ex antiquorum opinatorum principiis deducta Corollaria , conferentique cum Confectariis à summis Pontificibus jam proscriptis, & aliis, quæ ex modernorum Opinatorum doctrina irreperunt , in scholas Christianas, posset videri S. Patrem fuisse raticinatus, & prædixisse Recentiorum futuros abusum. Imò moderni quidam laxiores sunt istis antiquis , licet enim hi contra Philosophiam Christianam docuerint, nullam ulli auctoritati inesse vim movendi intellectum sapientis, & neminem posse ad latitantem veritatem & scientiam inquirendo pervenire, & hac de causa justam sibi conflaverint invidiam, non tamen docuerunt, sistendum esse in minus probabili seu verosimili qualicunque in occursum verisimilioris : Sed veritatem sapienti suo , ut S. Augustinus ait lib. 3 cont. Academ. c. 1. Summo conatu inveniendam esse professi sunt, idque illum agere sedulo. Sed quoniam vel lateret obruta, vel confusa non emerit, ad agendam vitam, id eum sequi, quod probabile ac verosimile ei occurreret. Quæ quibusdam probabilistis fuerint visa verisimilia , sive niti motivo potenti determinare intellectum , ad prudenter assentiendum , constat ex querelis supra laudatorum Pontificum de compluribus opinionibus Christiana disciplina relaxativis , & animarum perniciem inferentibus partim suscitatis , partim noviter ortis , & de humana luxuriantium ingeniorum licentia excrefcentia , de modo opinandi in rebus ad salutem pertinentibus, alieno omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, de via salutis , quam veritas Deus arctam esse definivit, in animarum

marum perniciem nimium dilatata &c. tum ex opinionibus ipsis ab utroque Pontifice proscriptis. De huiusmodi probabilistis (cujuscunque sint, fuerintque status & Ordinis) mihi sermo est, dum modernos quosdam dico laxiores fuisse probabilistis antiquis. Qui talis non est, cur mihi irascitur verum cum Pontificibus dicenti? *Quis*, inquit opponens, *unquam fuit tam insciti calami, ut adulteria velut probabiliter licita defenderit? si deliris Academicis de talium inhonestate non constabat, at nobis constat &c.* Cujus, quam sciti, & quam casti calami in ista materia aliqui fuerint, constat ex præpositionibus proscriptis, imprimis ab Alexandro 7. V. G. *Molities, Sodomia, & Bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infima, ideoque sufficit decere in confessione, se procurasse pollutionem: non est obligatus concubinarium ad eijciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij &c.* Deinde ab Innocentio XI. *tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur: molities jure natura prohibita non est, unde, si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali: copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium &c.* Hæc & similia docuerunt Authores istarum propositionum, quia videbantur illis niti motivo satis magni momenti, ad movendum virum prudentem, etsi revera tale motivum non esset.

Sed replicabit ille, se propugnare sententiam probabilistarum rigidorum, asserentium, requiri ad hoc,

ut

ut propositio sit strictè & practicè probabilis, ut motivum non solum videatur tale, sed re ipsa sit tale, ut virum doctum & prudentem, omnibus consideratis, valeat movere & determinare ad prudenter assentiendum. Sed per huiusmodi responsiones nondum tollitur difficultas. Hoc est enim, quod quæritur: an scilicet in concursu & conflictu minus probabilis, &c. stantis pro libertate, & utilitate, atque probabilioris stantis pro lege naturali aut positiva motivum minus probabilis revera ceteri possit tale, ut intellectum viri docti & pii (qui omnibus sine passione diligenter examinatis, iudicat esse verisimilius, quod minus probabilis &c. sit falsa & contra legem Dei) an inquam possit determinare ad prudenter assentiendum? hoc est enim quod, salva reverentia viris gravissimis contrarium modestè defendentibus debitâ negamus; esto motivum esset tale, ut extra concursum & conflictum intellectum talis viri posset determinare. Neque putamus per recursum ad *propositiones reflexas*, & *reflexò reflexas* sufficienter evadi. Sed de his infra. Dixi in dissertatione de radice damnatarum, huc quadrare *Exemplum Mercatoris, cuius meminit, magnus ille Opinator Cicero de offic. lib. 3. ubi sic discurret: incidunt sæpè causa, cum repugnare utilitas honestati videatur, ut animadvertendum sit, repugnetne planè, an possit cum honestate conjungi: Ejus generis hæ sunt quæstiones, exempli gratia: si vir bonus Alexandria, Rhodum magnum frumenti numerum advexerit, in Rhodiorum inopia & fame, summaque annona caritate: si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas pe-*

senses

tentes Rhodam viderit, dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus, sapientem & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione, consultatione quarimus; qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, an turpe non sit. Subjungit Cicero duorum Philosophorum sententias, videlicet Diogenis Babylonii, & Antipatri, quorum ille sensit, mercatorem posse silere, & frumenta quam plurimo vendere, hic verò, debere eum id Rhodiis revelare, & uterque nixus fuit ratione probabili, at unus probabiliore. In hujusmodi causis, inquit, aliud Diogeni Babylonico videri solet, magno & gravi stoico: aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatri, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor novit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia oportere: cetera sine insidiis agere; & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere. Advexi, exposui, vendo meum, non plura, quam ceteri, fortassis etiam minoris, cum major est copia, cui sit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: quid agis? Tu, cum hominibus consulere debeas, & servire humanae societati, eaque lege natus sis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ semper sequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas sit: vicissim & eque communis utilitas tua sit, celabis homines, quid his adsit commoditatis, & copiae? Respondebit Diogenes fortassis sic: aliud est celare, aliud tacere. Neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura Deorum sit, quis sit finis bonorum, quæ sibi plus prodesse cognita, quam civici utilitas. Sed non quidquid tibi audire utile est, idem mihi dicere necesse est. Imò verè, inquit ille, necesse

esse est; siquidem meministi, esse inter homines conjunctam societatem. Memini, inquit ille, sed non ista talis societas est, ut nihil suum cuiusque sit; quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum. Concursum & conflictus hic est oppositarum opinionum, quarum una altera est probabilior & tutior; una stat pro lege & honestate, altera pro utilitate. Probabilista Diogenes asserit, licitum esse operari juxta faventem commodo, relicta tutiore, Antipater suadet oppositum, & hanc sententiam tanquam solam honestam & bono viro dignam esse tenendam & practicandam judicavit. Cicero ibidem his verbis: *Non igitur videtur Frumentarius ille Rhodius celare emptorem debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas, sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumentum tui causa velis eos, quorum interest id scire. Hoc autem celandi genus quale sit & cuius hominis quis non videt? Certè non aperti, non iusti, non viri boni, sed versuti potius, obscuro, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot & alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?*

Existimo, si in simili casu Mercator Christianus consuleret quosdam ex modernis Casuistis, mitius & sibi commodius accepturum responsum.

Exemplum de mercatore non magis putat opponens quidam quadrare ad intentum meum, quam quintam in curru rotam; additque, plus laudari ethnicum oratorem, quam D. Thomam, eò quod hic 22. q. 77. a. 3. ad 4. dicat: *Venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est (id est, copiam mercium ad futuram)*

non exponat : si tamen exponeret , vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiæ titulo. Intentum meum in hoc §. est probare, quod non liceat sequi probabilem, stantem pro libertate & commodo, relicta & probabiliore sententia favente legi, eumque in finem ipsos etiam ethnicos lumine fidei destitutos ostendi, agnovisse, id simpliciter non licere. Idem exemplum mercatoris adducit etiam Petrus Arragon Ordinis nostri olim in Academia Salmanticensi publicus Professor in comment. in q. & art. cit. D. Thomæ, in probatione sententiæ Medinæ, qui sine limitatione c. de rest. q. 35. sicut & Gabriel in 4. d. 15. q. 11. art. 3. d. 6. & Bart. in L. quæro ff. de act. empt. & Glossa in legem contra leg. ff. de legibus, & Conradus de contractibus q. 66. negat id unquam licere mercatori vendenti. Quæro ab oppo-
nente, an, si quis mercator Coloniam annonæ caritate laborantem adduceret magnam frumentorum copiam, sciens, proximè ad futuros multos similes mercatores, & pretium valdè notabiliter imminutum iri. occurrenti ad ripam Rheni aut alibi v. g. pistori alicui aut alteri hoc ignorantia volenti parato pretio totam illam quantitatem emere, ad servandam, vel aliis vendendam, post modicum tempus ingens damnum passuro, & ad paupertatem redigendo, ob talem emptionem, an inquam licitè possit *silentio suum quam plurimo vendere* ? Quæro, an rigidus hic probabilista per applicationem regulæ suæ de reflexis, & reflexo reflexis, vellet hujusmodi venditorem, si siluerit, ab omni peccato pronuntiare liberum ? sed dicit : *S. Thomas talem ab-*
solvis

solvit loco citato. Legi articulum, perscrutatus sum, non invenio, nec colligo ex citatis verbis. Dicit quidem S. D. *sibi videri, non facere contra justitiam, &c.* sed non negat, facere contra alias virtutes. Qui Deum & proximum amat, bono proximi consulit, & ad hoc tenetur lege charitatis, quando sine magno detrimento potest. *Advertat jam Lector prudens, an hæc propositio sit vera, aut practicè probabilis: Ethnicus Orator plus hæc quàm D. Thomas laudatur? Si Opponens in docendo ubique esset tam sollicitus de honore S. Thomæ in amplectendis ejus sententiis, non doceret contra S. Thomam, esse licitum in conflictu contradictoriarum sententiarum sequi minus probabilem, &c.* ut nihil dicam de aliis sententiis, neque patrocinantes huic sententiæ Thomistas numerasset inter Eminentes Jansenistas.

Probatur tertiò: Secundùm Probabilistarum principia, qui in concursu opinionum contradictoriarum, sequitur minus probabilem, relictâ probabiliore specificante actum pro illicito, sive pro prævaricatione legis Dei, & adversante S. Scripturæ, prudenter operatur, etsi à parte rei illa, quam sequitur, legi & Scripturæ adversetur, &c. Sed huic doctrinæ adversatur doctrina S. Augustini; ergo secundùm S. Augustinum non est licitum sequi opinionem minus probabilem relictâ tutiore & probabiliore. Minor probatur ex epist. 7. ad Marcell. in qua ait S. Doctor: *Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest; ergo.*

Hic quasi non capiens probationis efficaciam, inquit: *Quorsum? an divinarum Scripturarum auctoritas repugnet sententiæ probabilistæ?* Omnino sic putamus, & ut existimo, non erramus; sed de hoc hic non est quæstio; sed quæstio est, an in concursu contradictoriarum sequens minus probabilem à parte rei contrariam authoritati Scripturarum, per verisimilitudinem, sive minorem illam probabilitatem, secundum Augustinum excusetur à peccato, & responsum est, non excusari, sed doctrinam ejus esse contrariam Probabilistis illis afferentibus, licitam esse sequi minus probabilem in dicto concursu, etsi sequens judicet verisimilius esse, quòd agat contra legem Dei naturalem aut divinas positivas in sacra Scriptura contentas. Talis enim non potest allegare ignorantiam invincibilem pro excusatione, cum non fecerit id, quod probabilius judicavit esse legi conforme.

Probatur quartò: quia secundum S. Augustinum in rebus ad salutem animæ spectantibus non est licitum *certis præponere incerta*; sed qui eligit minus probabilem opinionem, quam ipse probabilius judicat esse contra legem naturalem & æternam Dei, præponit in rebus ad salutem animæ spectantibus incerta certis; ergo illicitè operatur. Major quæ continet axioma Theologorum, à S. Augustino traditur in variis locis, signanter Homil. 41. ubi agens de rebus ad salutem animæ spectantibus, dicit: *Tene certum, dimitte incertum.* Et juxta illam doctrinam volentibus baptizari, & dubitantibus, an in Ecclesia Catholica, aut apud Donatistas sit accipiendus Baptismus, suadet
lib. I.

lib. i. de Bapt. contr. Donat. c. 3. esse accipiendum tantum in Ecclesia Catholica: Duo, inquit, dicimus esse apud Donatistas Baptismum, non autem illic rectè accipi. Horum duorum illi unum magnoperè affirmant, id est, esse ibi Baptismum, non autem illic rectè accipi, nolunt fateri. -- Esse in Ecclesia Catholica Baptismum, & rectè illis accipi, & apud Donatistas non rectè, nos tantum dicimus, esse verò Baptismum, & apud Donatistas, & illi asserunt, & nos concedimus. Quisquis ergo vult baptizari, & certus est, jam sibi nostram Ecclesiam ad Christianam salutem esse eligendam, & in ea sola prodesse Baptismum Christi, etiamsi alibi receptus fuerit, sed ideo in parte Donati vult baptizari, quia esse ibi Baptismum non illi soli, nec nos soli, sed utrique dicimus, attendat. --- si enim nos eligit sequi in ijs, quæ illi non dicunt. --- Satis est nobis, quòd ea præponat, quæ soli dicimus. Esse autem in Catholica Baptismum nos dicimus, illi non dicunt: rectè accipi in Catholica Baptismum nos dicimus, illi non dicunt. -- Hic ergo SECURUS accipiat, ubi & esse & accipi CERTUS est. Illic autem non accipiat, --- quanquam etiam, si dubium haberet, non illic rectè accipi, quòd in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret IN REBUS AD SALUTEM ANIMÆ PERTINENTIBUS, VEL EO SOLO, QUOD CERTIS INCERTA PRÆPONERET. Et cap. 5. ait: Incertis certa præpone. --- Accipere in parte Donati, si incertum est, esse peccatum: quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est, non esse peccatum? Quæ doctrina confirmatur adhuc ex lib. de morib. Eccl. c. 3. ubi ait: Oportet omnem

hominem, quod optimum est, sequi; id est, accipiendo optimum Theologicè, prout opponitur alicui malo. Estque hæc Augustini regula, quod *in dubio sit eligendum tutius* advertativè acceptum, à Jure Canonico canonizata C. ad audientiam, C. significasti, C. Petio. de homicidio. C. si quis positus, de pœnit. Dist. 7. & C. si quis autem, ibidem, de quibus fusiùs agit Prosper Fagnanus in C. Ne innitaris, de Constit. probatque solidè, non habere tantùm vim consilii, sed præcepti, eò quòd homo teneatur dubiam conscientiam deponere, & omnis in operando sequens minus probabilem, relictâ probabiliore & tutiore, habeat talem conscientiam, & ex opposita doctrina deducit plurima absurda.

Minor etiam probatur, quia ille, qui taliter operatur, amplectitur opinionem, quam ipse probabilius judicat esse falsam, & legi contrariam, relictâ illâ, quam judicat esse probabiliorem, & remotam à periculo peccati: Ergo præponit incerta certis, & exponit se periculo peccandi; imò operatur contra proprium iudicium, nolens intelligere, ut benefaciat; intellectus quippe tendit ad indivisibilem veritatem, veluti corpus grave ad centrum suum, & ad hanc inveniendam semper enititur, opinionibusque illi vicinioribus adhæret.

Ad hæc respondet Opponens, *juxta doctrinam à se traditam, semper tenendum esse certum, & evidens dictamen practicum, sine quo operari nunquam licet, an plus docuit Augustinus?* Accepto responsum, & infero: ergo nunquam licet in concursu opinionum contra-

dicte.

dictoriarum, quales sunt hæc V. G. pingere in die festo, est opus servile, pingere, &c. non est opus servile, relicta probabiliore stante pro lege, sequi minus probabilem, stantem pro libertate aut commodo &c. Qui enim dubitat, an opinio, quam sequitur, sit vera, & legi conformis, non habet tale iudicium certum & evidens, & hinc tenetur sequi hoc, quod est tutius, etiam secundum adversarios, nisi veritatem investiget, dubiumve deponat; ergo à fortiori non habet ille dictamen certum & evidens, qui in memorato concursu sequitur minus probabilem &c. Probatur consequentia: quia talis plusquam dubius est, an sit licitum, quod facit. Probatur assumptum: quia dubitans, vel habet rationes æquales, pro & contra, vel nescit, cuius partis rationes sint probabiliores, &c. sed sequens minus probabilem, &c. iudicat verisimilius esse, quod pars, quam sequitur, sit falsa, & legibus Dei contraria; & ut Celladius ait, *virtualiter dicit: sive Deus velit, sive Deus velit, volo hoc facere*; ergo plus quam dubius est de veritate: neque dubium deponere prudenter potest ob reflexas, ut ostenderur.

Confirmatur; qui laborat ignorantia vincibili legis, non habet iudicium certum & evidens practicum; sed qui sequitur in concursu minus probabilem &c. laborat ignorantia vincibili; ergo non habet iudicium certum & evidens practicum. Major conceditur ab adversariis. Minor probatur; quia, qui dubitat, secundum Terillum, & alios, laborat ignorantia vincibili legis, sed qui in concursu sequitur minus probabilem, &c. dubitat, imò, ut jam probatum est, plusquam

quam dubius est, cum iudicet sententiam, quam sequitur, plus habere falsitatis, quam veritatis, & dubitanti utraque æquè vera videatur; ergo vincibiliter ignorat, imo sufficienter vicit ignorantiam per hoc, quòd iudicet, probabilius esse, quòd illa, quam sequitur, sit falsa. Si dixeris, quòd sequens minus probabilem, excludat dubium per hoc, quòd reflectat se, & reflexò reflectat supra præmissas reflexas & directas. Respondeo, etsi millies se reflectat super directas probabiles & incertas, & super reflexum iudicium de incertis, non habebit per hoc iudicium practicum certum, & evidens, cum à præmissa directa, incerta, & obscura in reflexã certitudo & evidentia, qua caret, derivari non possit; ac proinde nec à reflexa in reflexo reflexam. Sed de his infra latiùs.

Quid plus docuerit Augustinus, constat ex dictis, magisque constabit ex dicendis. Augustinus regulas Probabilistarum modernorum *de reflexis & reflexo reflexis &c.* ignoravit, & docuit, quòd in rebus ad salutem spectantibus, debeamus tenere certum, & dimittere incertum, id est, sequi probabiliorem, & tutiorem sententiam, demissã minus probabili, & non tuta in concursu &c.

Optat Probabilista, *ut Improbabilista* (tali elogio honorat adversarios suos, volens indicare, eorum sententiam esse improbabilem) *intelligent, bene docere, & facere.* Ago gratias pro pio illo voto, & desiderio, & opto in eundem finem huic Probabilistæ gratiam efficacem, quæ ei in pluribus defuit; alioquin plura omisisset, quæ in memorata disputatione asseruit, sine motivo

motivo prudentiæ. *Iudicet prudens Lector.*

Probatum quintò: secundum S. Augustinum lib. 22. de Civit. Dei, c. 23. *Habent iusti in hac vita, præter mala bonis, malisq; communia, etiam proprios quosdam labores suos, quibus adversus vitia militant, & vigilijs continuis excubant, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebra alicujus erroris offundant, ne, quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credant; Sed si licitum esset, sequi opinionem minus verisimilem, relictâ verisimiliore, & tutiore, non esset iustis necessarius continuus ille labor, & vigilantia &c. ne opinio verisimilis fallat, ne se tenebræ erroris offundant, ne, quod bonum est, malum, aut quod malum, bonum esse credant, eò quòd frequentes opinionem probabilem, semper prudenter operarentur, formato scilicet dictamine pratico certo, & evidente, ex incertis & obscuris reflexe cognitis, & ad talem cognitionem reflexam reflexione. Sed hanc artem non noverunt sancti Viri.*

Respondet Opponens ad locum Augustini, *Se excubare, ut deset bonos pastores, ne populus pretioso nimis sanguine redemptus, à suavi jugo Christi avehatur, &c.* Laudo intentionem, & respondeo, Discipulos S. Augustini, & S. Thomæ, &c. incubare, ne porta, quam Deus voluit esse angustam, nimium dilatetur, ne nimium complanetur salatis iter, ne intuitu utilitatis & commodi temporalis, spretâ sententiâ tutiore & probabiliore, favente legibus, populus Christi sanguine redemptus, sequens tinctas colore aliquo minoris probabilitatis sententias, existimet viam ad cælum esse

faciliorem & latiore, quàm Veritas Deus eam esse definivit, ne intret latam portam & viam spatiosam, quæ ducit ad perditionem; & hinc docent cum S. Augustino, & S. Thoma, & aliis, non licere sequi minùs probabilem, & non tutam in concursu contradictoriarum, de cuius veritate operans non solùm dubitat, sed iudicat probabilius esse, quòd falsa sit, & legi Dei contraria. Unde glorianti Caramueli & deprædicanti in Theol. Reg. Ecclesiæ Catholicæ fœlicitatem, ob introductas à Recentioribus benignas opiniones, sine quibus plurimi fuissent damnati, meritò respondet Mercorus: Si nova huic fœlicitati Ecclesiæ, quam supponit hic Author, esset plaudendum, quòd ab Opinatoribus fideles ad lauream empyream promoverentur facilius, esset simul condolendum infœlicitati Ecclesiæ seculorum antecedentium, quibus hac janua cœli foret clausa.

Cui sententiæ in hac controversia faveat S. Bernardus, constat ex sermone, *quomodo voluntas nostra subiiciatur voluntati divinæ*: sic enim Mellifluus Doctor discurret: *Rogo vos fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod utilius possitis audire. Vbi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in Scripturis invenimus, aut ipse Spiritus manifestè clamat in cordibus nostris, quid sentiendum sit: hac approbemus indubitanter, & appetamus, quæ placere Deo scimus indubitanter. Sed ea omnibus modis odisse debemus, de quibus certum est, quòd oderit ea Deus. -- IN HIS VERO REBUS, IN QUIBUS NIHIL CERTI POSSUMUS INVENIRE, NIHIL CERTUM VOLUNTAS NOSTRA DEFINIAT.*

NIAT: PENDEAT INTER UTRUMQUE,
AUT CERTO NEUTRI PARTI NIMIS IN-
HÆREAT, COGITANS SEMPER, NE FOR-
TE ALTERA. PARS DEO MAGIS PLA-
CEAT, ET PARATI SIMUS VOLUNTA-
TEM EJUS SEQUI, IN QUAMCUNQUE
PARTEM NOVERIMUS EAM INCLINARI.

*Judicet prudens lector, an ille, qui in conflictu opi-
nionum contradistoriarum, quando nihil certi potest
invenire, spreta probabiliore & tutiore sequitur minus
probabilem, quam judicat probabilius esse falsam &
contra Dei voluntatem, an inquam ille sit sollicitus, ne
forte altera pars Deo magis placeat, an eam sequatur,
quam judicat Deo magis placere, an paratus sit volunta-
tem Dei sequi, inquamcunque partem noverit magis in-
clinari? ille judicat verisimilius esse, quod ista pars,
quam contemnit, conformis sit voluntati Dei.*

Pergit S. Bernardus; *Nemo dubia pro certis admie-
tat; nemo sibi in dubiis iudicium vendicat, præcipit et ve-
sententiam: & experiemur, quod scriptum est: pax multa
diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scanda-
lum &c.* Qui sequitur opinionem minus probabilem, re-
licta ea, quam judicat esse probabiliorem & securam,
merito dubitat de veritate & honestate suæ operatio-
nis, cum judicet verisimilius esse, quod sit contra Dei
voluntatem, & tamen sibi iudicium vendicat, præcipi-
tatque sententiam, sibi licitum esse hic & nunc juxta
eam operari. *Judicet prudens lector, an taliter ope-
rans diligat legem Dei & Deum ex toto corde?*

Redeamus ad Bernardum: *Vnde enim sunt scanda-*

la, unde turbatio, nisi quod propriam sequamur voluntatem, & temerè, quod volumus in corde nostro desinientes. Si quo modo id prohiberi contingat, aut impediri, continuo etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum poni sumus.

Vnde scandalose propositiones, quas ob inde ortam turbationem summi Pontifices damnarunt, unde inquam hac scandala, unde turbatio, nisi quia authores earum propriam secuti fuerunt voluntatem & temere, sive obtinuem probabilitatem sibi visam magni ponderis, quod voluerunt in corde suo, desinientes, esse licitum eas sequi, eo quod licitum sit sequi omnem opinionem probabilem, etiam relicta probabiliore & tutiore? & quia illas contigit à Pontificibus prohiberi, & impediri laxitates, assertores earum & fautores aliqui in impatientiam & scandalosam murmurationem fuerunt prona, ut constat satis ex sparsis Anonymorum lucifugorum libellis, etiam post emanatum Pontificis decretum, contra eos, qui in impetrando decreto operam impenderunt, aut huiusmodi vagam probabilitatem impugnarunt, ut nihil dicam de dictatis privatim, & publicè, quibus tanquam Jansenistæ traducuntur, ad constandam invidiam sententiæ, apud simplices lectores & auditores.

Si damnatarum authores fuissent vagæ probabilitatis impugnatores, non fuissent orta ista scandala nec turbatio.

Sed audiamus ulterius S. Bernardum: Domine, ait Propheta, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Alius enim ambulat in lumine vultus

vultus sui, sollicitus facere suam voluntatem, & beneplacitum cordis sui considerans. Alius ambulat in lumine vultus humani, in eo semper intentus, quid hominibus placeat - - homines sibi ipsis, aut alijs hominibus placere studentes confusi sunt; sed qui in lumine vultus tui ambulant, Domine, id solum cogitantes, quomodo tuam faciant voluntatem, & toto corde contendentes placere tibi; nunquid in nomine tuo exultabunt. Qui legit, & intelligit propositiones à Summis Pontificibus damnatas, prudenter judicet, an, si quis eas, præsertim aliquas (quæ authoribus visæ fuerunt practicè probabiles) in concursu oppositarum stantium pro legibus, ante damnationem fuerit in operando secutus, relictis oppositis, sit censendus ambulasse in lumine vultus humani, vel divini? judicet, an qui has, vel oppositas practicavit, studerit placere Deo ex toto corde? judicet, an harum, vel illarum authores aut sectatores per censuram pontificum fuerint confusi?

Dices, etiam mei Ordinis Doctores aliquas ex damnatis tradidisse &c. Quid inde? propterea nõ murmuro; neq; id dicentibus aut scribentibus irascor: neq; arguo, quod dolosè aut aperto Marte eos læserint, aut Ordine meum. Habuit, habet, & ut spero, semper habebit Ordo ingenia, etiam præstantia, sed non præstantiora ingenio S. Augustini, qui libros Retractationum scripsit. Non ferant igitur ulli ægrè, quod Summi Pontifices memoratas opiniones præscripserint. Qui vivunt & adhæserunt illis, humiliter retractent; & si objiciatur, ea non debuisse doceri, respondeant cum S. Augustino in prol. Retr: Neque enim quisquam nisi imprudens, idè quia

mea

mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit, non ea debuisse à me dici. -- Verum dicit, & mecum facit -- neque enim reprehendere deberem, si dicere debuisssem. S. Ignatius in lib. Exercit. R. 13. ait. ut ipse Ecclesie Catholice omniò unanimes, conformesque simus: Si quid, quod oculis nostris apparet album, nigrum illa esse definiere, debemus itidem, quod nigrum sit, pronuntiare: Illi acquiescendum.

S. Augustino consonat etiam S. Thomas, qui quodl. 3. art. 13. dicit, eum, qui in concursu & conflictu opinionum non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, si in quandam dubitationem inducatur &c. contrarietate opinionum, peccare; quia sic periculo se committit: ergo à fortiori peccat ille, qui sequitur sententiam minus probabilem, relictâ tutiore & probabiliore. Probatur consequentia: quia illa non solum inductus est in dubitationem ex contrarietate opinionum, sed sequitur illam, quam probabilius iudicat esse falsam & divinis legibus contrariam, non obstantibus reflexionibus in iudicium oppositam incertum &c.

Confirmatur; S. Thomas quodl. 9. art. 15. ait, quod omnis questio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinetur; qui error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto &c. Sed hæc doctrina est contraria doctrinæ probabilisticæ in præsentibus; ergo, secundum S. Thomam, non est licitum, sequi minus probabilem &c. in rebus ad salutem spectantibus, quando agitur de peccato mortali. Probatur minor: quia probabilistæ docent,
in

in concursu opinionum, quando etiam agitur de peccato mortali, etsi expressè veritas non habeatur, sine ullo tamen periculo posse determinari, quod non peccetur, sive quis sequatur minus probabilem &c. sive probabiliorem & tutiorem: Quod autem tunc non habeatur expressa veritas, patet, quia operans in tali concursu incertus est de veritate, & sequens minus probabilem &c. iudicat illam, quam sequitur, habere plus falsitatis quam veritatis &c. sive quod propius accedat ad falsitatem quam veritatem.

Confirmatur secundò ex eodem loco; quia S. Thomas dicit: *error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est mortale, sive quo non creditur esse contra legem graviter obligantem, quod est contra legem graviter obligantem, non excusat à toto*; ergo dum aliquis sequitur opinionem minus probabilem &c. erroneè iudicans, non esse peccatum, sive non esse contra legem, quod revera est, non excusatur à toto, licet forte excusetur à tanto; sed secundum probabilistas sequens minus probabilem excusatur à toto & tanto; ergo doctrina S. Thomæ est contraria doctrinæ probabilisticæ de tuto sequendâ minus probabili &c.

Dices, S. Thomam loqui de errore vincibili, & teste Terillo pag. 448. in probat. 14. *Omni probabilitatem, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contraria, necessariò connecti cum invincibili ignorantia legis divinæ prohibentis tale objectum &c.*

U Sed respondeo, supra satis ex S. Augustino & S. Thoma &c. probatum esse, non dari ignorantiam invincibilem legis naturalis saltem secundum se specta-

tæ &c. ac proinde, secundum eosdem sanctos Doctores, non omnem probabilitatem necessario connecti cum invincibili ignorantia in materia juris. Hoc enim est in quæstione, & à nobis negatur, & hoc modo etiam argumentati fuerunt Authores propositionum damnatarum. v. g. omnis propositio probabilis necessario connectitur cum invincibili ignorantia; sed hæc propositio &c. *licet procurare abortum ante animationem fœtus &c.* est probabilis, ergo connectitur cum invincibili ignorantia; & tunc sic: qui sequitur opinionem necessario connexam cum invincibili ignorantia, non peccat, sed qui sequitur probabilem, sequitur opinionem taliter connexam cum ignorantia; ergo non peccat, &c. & hæc est radix propositionum damnatarum. Adde, etsi dari possit ignorantia invincibilis, Legis in concursu tamen contradictoriarum sententiarum frustra allegari ab eo, qui sequitur minus probabilem, cum vincibiliter ignoret, ut probatum est. Imò jam sufficienter in tali ignorantia victa est per oppositum iudicium probabilis.

Si clarius S. Thomæ mentem de huiusmodi errore in concursu opinionum intelligere quis desideret, observet quodl. 3. art. 10. sic discurrentem: *Respondeo dicendum, quod diverse opiniones Doctorum S. Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Rom. 14. unusquisque in suo sensu abundet. In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri. In talibus enim*

igno-

ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem, Arrij, Nestorij, & aliorum Hæsiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam sequantur. In rebus enim dubijs non est de facili præstandus assensus; quinimò, ut Augustinus dicit in lib. 3. de doct. Christianâ, consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis & Ecclesia autoritate percepit. Ex hoc loco patet, quod, secundum S. Thomam, ille, qui in concursu opinionum in rebus, ad fidem & mores pertinentibus, sequitur opinionem, re ipsa legibus divinis contrariam, non excusetur per ignorantiam, sicut nec hæretici excusantur, etsi evidenter non cognoscant suas opiniones esse contrarias legibus divinis. Similia habet quodl. 8.

Dices S. Thomas agit de opinione erronea manifestè, quando hic & alibi dicit nō excusari illum, qui sequitur errorem, alicujus magistri. Respondeo negando assumptum, cōtrarium enim patet ex quodl. 8. a. 13. ubi agens de difficili & obscura quæstione an habens plures præbendas peccet? dicit, qui facit cōtra opinionem magistrorum veram, non excusatur à peccato, cum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conscientiam. Ad peccandum sufficit, quod sequens opinionem vincibiliter ignoret legem, ad quod non requiritur, ut manifestè sit omnibus falsitas sententiæ.

His conformè est, quod docet S. Antoninus 1. part. tit. 3. c. 10. R. 4. ubi ait: *Potest aliquis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam S. Scriptu-*

Scriptura, nec contra determinationem Ecclesie Catholice, & quando etiam ex contrarietate opinionum non inducitur dubium, sed bonam scientiam & credulitatem formet, de eo, quod credit, tanquam probabiliori parte &c. & addit, ut ad vitandos errores homo se ad gratiam prepararet, quantum potest, ut sapientiam invocet, ut scripturas diligenter investiget, ut querat eam quasi pecuniam, ut adhibeat diligentiam in inquirendo. & 3. part. 4. §. c. 2. §. 9. dicit, illum qui agit contra dubium non peccare, dum adheret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita opinione. Consentit in hac materia Angelico Doctori etiam Doctor Subtilis in 3. distinct. 24. q. 1. dicens: in moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primo est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat, quod licet, tutius est non procedere sic vel sic, sed expectare, quousque veritas pateat aliunde: si enim ita esset, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius, quod peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus: ideo benè videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur, quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculosè se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta, illam probabiliorē agnosceret. Et in 4. dist. 11. q. 6. cum multo sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam, minus probabilem. Exstat opusculum egregium cujusdam recentis Scotistæ, qui plura ex Scoto adducit loca, probatque opinandi licentiam, non solum morum integritati repugnare, sed etiam lumen natura-

lis rationis extinguere; observatque, S. Thomam, Scotum, aliaque Scholæ lumina in quæstionibus de rebus moralibus, variis argumentis verisimilibus utraque parte munita, nunquam adhibuisse responsionem recentioribus familiarem, quæ erat facillima, si eam tutam putassent: nimirum liberum esse utriusque partis argumentis non destitutæ delectum. Hinc dolendum esse dicit Contensonius, alios Scotistas in hac controversia aliter sentire.

Hæc sanctorum Doctorum doctrina fundata est in S. Scriptura utriusque testamenti. Hæc enim mandat, ut *impleamus Dei mandata ex toto corde, & ex tota anima*, ut Deut. 26. sed qui in concursu opinionum sequitur minus probabilem, & non tutam, non potest dici sic implere Dei mandata, cum iudicet probabilius esse, quod Deus per operationem, quam exercet, sit offendendus, sive quod illa sit contra Dei legem, & falsa.

Ecclesi. 37. dicitur, ut *ante omnia opera verbum verax præcedat*: ille autem, qui sequitur minus probabilem, iudicat probabilius esse, quod opinio, quam sequitur, sit falsa, ergo &c.

Matth. 7. monemur, ut *intremus per portam angustam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*. Quam angustam portam & arctam viam quidam Probabilistarum demonstraverint & intraverint, illi scilicet, quorum propositiones Summi Pontifices proscripserunt, notum est. De talibus loquitur Cabassutius, Congregationis Oratorii Presbyter, lib. 3. de Juris Canonici theoria & praxi, c. 13. dum inquit:

G

Scripto-

Scriptorum caterva ante annos circiter triginta sese qua-
 quaversum effudit, criminofarumq; opinionum portenta
 disseminavit, quibus eorum auctorum quilibet magnam,
 & in tuto positam probabilitatem, vel suo unius suffragio,
 auctoritateq; se conciliare praeſumebat, imo & jactabat,
 sibi genus humanum vinculo amplissimae beneficentiae aſtri-
 ctum, ob sublata peccata mundi; quia quae olim habe-
 bantur pro criminibus, sua auctoritatis pondere reddi-
 diſſet licita & honesta, viamq; illam arctam & arduam,
 quae ducit in calum, in amplissimam aream & planitiem
 convertisset, quae tuto & indiscriminatim universi absque
 ulla difficultate in calum devenirent, solis exceptis, qui
 tantum beneficium non agnoscerent, divinasq; illas proba-
 bilitates non exoscularentur; quorum duntaxat est despe-
 rata salus, & certissima damnatio.

Huc etiam facit, quod Apost. ad Theſſ. 5. monet,
 videlicet, ut ab omni specie mala abſtineamus; qui autem
 amplectitur opinionem minus probabilem, &c. judi-
 cat hoc, quod agit, probabilius esse malum, ergo non
 abſtinet ab omni specie mala.

Hæc, ut decet, perpenderunt Summi Pontifices, &
 Concilia; & hinc docuerunt, mores esse conforman-
 dos juxta S. Scripturam, sanctorumque Patrum do-
 ctrinam esse vitam instituendam. Non nostra, inquit
 Innocentius I. in Epist. ad Victricium, praecepta impe-
 rantur, sed ea, quae per desidiam aliquorum neglecta sunt,
 ab omnibus observari cupimus, quae tamen Apostolica &
 Patrum traditione sunt constituta. Et Gregorius 7. Vi-
 dentes ordinem Christianae Religionis multis jam labefa-
 ctatum temporibus, & principales ac proprias lucranda-

rum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas, concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis ad sanctorum Patrum decreta, doctrinamq; recurrimus: nihil novi, nihil ad inventionem nostram statuentes; sed primam & unicam ecclesiasticam disciplinam regulam & tutam sanctorum viam, relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus. Nihil novi, inquit, nihil ad inventionem nostram, &c. quid dixisset hic Pontifex, si audivisset vel legisset has Caramuelis Eminentis Probabilistæ voces: *Tota moralis Theologia nova est. Quis enim negare audebit, esse hodie in Diana centenarum opiniones probabiles (id est securas) quæ Augustino, & antiquæ Ecclesiæ Patribus ignotæ fuerunt?* Ex quibus infero, hoc ipso esse suspectas, quod S. Patribus fuerint ignotæ. *Interroga majores tuos, & dicent tibi. Deuter. 32.*

Quid sibi vult ista novitas? nonne vobis videtur, nescio quam redolere fallaciam? S. August. cont. Epist. Fund. c. 6.

Sed miror admodum, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventarum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit, Ambrosium & Augustinum, sive auctoritatem eorundem auctoritate potiore. S. Bern. in Epist. 77. ad Hugon.

Vadunt Doctores in adinventionibus suis, qui non sequuntur dicta sanctorum, sed opiniones novas, subtiles, & curiosas, non utiles, ad pruriendum aures. S. Anton. 2. p. tit. 4. c. 5.

Sanctus Ignatius in cit. lib. Exercit. inter regulas de sentiendo cum orthodoxa Ecclesia, jubet Patrum se

Superiorum decreta, mandata, traditiones, ritus & mores studiosè probare.

Felix 3. Epist. 7. ait : *Sciat, quòd se decipit ipse, qui fallit, nihilq; per nostram facilitatem tribunalis Excelſi iudicio derogari, cui illa sunt rata, qua pia, qua vera, qua iusta sunt.*

Concil. 8. Constantinopolitanum art. 10. c. 1. monet, *ut rectam regiamq; divina iustitia viam, sine erroris offensa teneamus, sanctorum Patrum correcta veluti inextincta quadam semperq; lucentes facies sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesie Catholicae & Apostolicae per traditionem, tum à Sanctis, omnisq; laudis praconio celebrandis Apostolis, tum ab orthodoxis, œcumenicisq; & provincialibus Concilijs, aut à quovis Deiloquo Patre & Doctore Ecclesie acceptas, servandas custodiendasque profiteamur, &c.* Nec hîc, nec in alijs Concilijs, aut sanctorum Patrum libris mentio fit de formando iudicio practico, etiam contradictorio, ad libitum, in concursu opinionum, ex reflexis & reflexò reflexis præmissis. Diverſarum Catholicarum Academiarum, uti & Episcoporum, & Archi-Episcoporum, Censuras emanatas contra vagam probabilitatem, quibus jam dicta confirmari possent, brevitatis causa omitto. Possunt legi apud suprâ citatos pro conclusione Authores, qui fusiùs de hac rescripserunt.

Quis omnibus his benè perpensis non iudicaret cum S. Augustino, continuis vigilijs excubandum esse, *ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo, ne se tenebrae erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum, bonum esse credat, ne certis incerta preponat in rebus ad salutem pertinentibus?*

Pluri-

Pluribus confirmabitur hæc sententia per oppositiones contra singulas damnatas, & per responsiones ad objectiones in §§. sequentibus.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Confertur & opponitur doctrina S. Augustini, & aliorum particularibus vaga probabilitatis Consecrarijs, id est singulis propositionibus à Pontificibus proscriptis, & Veritas præcedenti §. asserta confirmatur.

ET si §. præcedenti generaliter & sufficienter fuerit probatum, principia Probabilistarum, quibus persuadere conantur, licitum esse, sequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore, non coherere cum doctrina S. Augustini, & consequenter eidem adversari propositiones ex iisdem principiis deductas, & à Summis Pontificibus censurâ perstrictas, ad id tamen confirmandum juvat, singulis in particulari conferre & opponere doctrinam sancti Patris, & aliorum, quos in priore editione omisi, solâ contentus auctoritate S. Augustini, & non ita pridem ex æquo apposuit in sua statera proscriptarum ab Innocentio XI. Petrus Lambertus Ledrou, Ordinis nostri S. Th. Doctor & Professor Lovaniensis, qui Romæ fuit, quando fuerunt examinata.

Propositio Prima.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, de valore Sacramenti, relictâ tutiore,

nisi id vetat lex, conventio, aut periculum gravis damna
incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum
non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut
Episcopalis.

Secunda.

Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare, iuxta opi-
nionem etiam minus probabilem.

Tertia.

Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive ex-
trinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus
non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter a-
gimus.

Quarta.

Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus
opinionem minus probabilem.

Opponitur doctrina S. Augustini
& aliorum.

Contra propositionem primam, secundam & ter-
tiam faciunt illa, quibus Paragraphis præcedentibus
ex S. Scriptura, S. Augustino, & D. Thoma, aliisque
probatum fuit, non dari ignorantiam invincibilem le-
gis naturalis; ac proinde per probabilitatem non excu-
sari contra legem operantes; & quibus probatum est,
non esse licitum sequi minus probabilem, relictâ pro-
babiliore & tutiore in concursu opinionum.

Contra quartam specialiter facit discursus S. Augu-
stini de puero nato inter paganos, ut ab iis edocto co-
lere idola: *Quid faceret, inquit in psal. 6. puer natus in-
ter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum
insinuaverunt parentes? inde prima verba audivit: illum*
erre-

auiorem lacte suxit : quia illi , qui loquebantur , maiores
 erant , & puer , qui loqui discebat infans erat . Vnde pote-
 rat parvulus nisi maiorem auctoritatem sequi , & id sibi
 bonum ducere , quod illi laudarent ? --- sed quia ut infere-
 rentur talibus opinionibus , & sacrilegijs , persuasiones fe-
 cerunt eorum , qui quantò etate precedebant , tantò aucto-
 ritate precedere debere putabantur . Confitetur iam re-
 dire volens ad Hierusalem de Babylonia , & dicit : Sermo-
 nes iniquorum praua uerant super nos ; duxerunt nos ma-
 la docentes , ---- dimisimus Creatorem ; adorauimus crea-
 turam ; dimisimus eum , à quo facti sumus ; adorauimus ,
 quod ipsi fecimus , ---- impietates nostras tu propitiaberis .
 Ex quo discursu patet , quòd secundùm S. Augusti-
 num ab infidelitate non fuerunt excusati Pagani illi ,
 licèt fuerint secuti doctrinam parentum & majorum
 suorum , atque ob eorum auctoritatem crediderint ,
 Idolum esse adorandum , sicut pueri Christianorum
 sequuntur instructionem parentum suorum . Si autem
 memorata damnata propositio esset vera , excusandi
 essent huiusmodi Pagani secuti opinionem proba-
 bilem .

Prima ab Alexandro VII. damnata.

*Homo nullo unquam uita sua tempore tenetur elicere
 actum fidei , spei , & charitatis , ex vi praeceptorum diuino-
 rum ad eas uirtutes pertinentium .*

Quinta ab Innocentio XI. damnata.

*An peccet mortaliter , qui actum dilectionis Dei se-
 mel tantùm in uita eliceret , condemnare non aude-
 mus .*

Sexta ab eodem.

Probabile est, nec singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

Septima ab eodem.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Quomodo hæ propositiones cohæreant cum doctrina S. Augustini constabit ex subjectis ejusdem testimoniis. Lib. de morib. Eccl. II. ait S. Doctor: Maximum, quod ad beatam vitam ducit, primumque mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum &c. summum bonum, quod & optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus. Idem significatur & exprimitur eo, quod dictum est: Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente &c. Consonat S. Bernardus: Modus diligendi Deum est sine modo diligere Tract. de dilig. Deo. in ejus detectione, modus amoris nullus esse debet. Sine modo te dilexit: sine modo eum diligere debes. - - dilige eum ex toto corde, ex tota mente, ex omni anima, & omnibus viribus tuis. Hoc tantum querit: ultra non querit. Hoc fac & vives. Ser. I. in Cæna D. Si autem præfatæ propositiones essent veræ, id est, præceptum charitatis vel nunquam vel tam rarò, & ratione aliorum præceptorum per se obligantium, tantum obligaret, non esset maximum Mandatum, neque obligaret ad Deum amandum taliter ex toto corde, & ita, ut nihil amplius sit diligendum, ut patet

patet consideranti. Imò alia præcepta, ratione quorum dicitur obligare, essent majora & principaliora, cum hæc directè & per se obligarent, & illud ad hæc referretur.

Ad tempus obligationis quod attinet, cum hoc præceptum sit affirmativum, & ei tempus determinatum non apponatur, & secundum legem 14. de reg. juris. *In omnibus obligationibus, quibus dies non apponitur, præsentis die debeatur.* Obligat præceptum fidei, spei & charitatis imprimis quemlibet hominem, dum ad usum rationis pervenit secundum S. Augustinum, qui Tract. 15. in Joan. ait: *Cum cœperit anima capax esse rationis, aut à sapiente mente regitur, aut ab errore, id est, aut directa per rectæ rationis dictamen se convertit ad Deum per castum amorem, ut tenetur, vel secuta judicium erroneam avertit se ab illo, & convertitur ad creaturam.*

Deinde cum præceptum de diligendo Deo sit omnium aliorum præceptorum finis, & hac de causa S. Augustinus dicat lib. 3. de doct. christ. c. 10. *Non præcipit scriptura nisi charitatem, nec culpatur nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum, docent non pauci ex discipulis S. Doctoris, nullum opus esse moraliter bonum, nisi procedat ex aliquo Dei amore, ac proinde frequentissimè obligat per se dictum præceptum. Quibus adde, non posse saltem à peccato ingratitude & propriæ salutis negligentia excusari, qui Deum nos quotidie diligentem, & in numeris beneficiis cumulantem, vel nunquam in vita, vel tam rarò diligeret.* *Nimis durus, inquit S. Pater lib. de catech. ru-*

dib. c. 4. est animus, qui dilectionem, si nolebat impende-
 re, nolit rependere. Etc. 22. Quis non redamare affectet
 iustissimum & misericordissimum Deum, qui prior se
 amavit iniustissimos & superbissimos homines, ut propter
 eos mitteret unicum filium, per quem fecit omnia? Et lib.
 4. Conf. c. 9. Hoc est quod diligitur in amicis. --- ut
 rea sibi sit humana conscientia non redamando amantem.
 Quod & Ethnicus Cicero agnovit, qui lib. Epist. ad
 Brutum Epist. 1. ait: Nihil enim mihi minus hominis
 videtur, quam non respondere in amore iis, à quibus pro-
 vocere.

Octava ab Innocentio XI, damnata.

Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam vo-
 luptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, qui-
 licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Doctrina S. Augustini opponitur. ?

Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta sic
 alimenta sumpturus accedam. --- Et cum salus sit causa
 edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedisse qua pericu-
 losa jucunditas, & plerumque praire conatur, ut ejus cau-
 sa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo.
 Nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, de-
 lectationi parum est: & saepe incertum sit, utrum adhuc
 necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cu-
 piditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum
 hilarescit infelix anima, & in eo preparat excusationis
 patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit. --- Ut
 obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. Lib. 10.
 Conf. c. 31. Hæc non indigent explicatione, ad in-
 telligendum, quod secundum Augustinum non sit li-
 citum

etiam comedere & bibere ob solam voluptatem, & frui actibus appetitus. Potestque confirmari ex c. 33. ejusdem libri, ubi audientem pium cantum ob solam delectationem non excusat à peccato. Sic enim ait: Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccasse confiteor, & mallem non audire cantantem. Et lib. 4. contra Julian. c. 4. dicit: Movetur certè animus ad pietatis affectum divino cantu audito, tamen etiam ille, si sonum, non sensum, libido, audiendi desideret, improbatur.

Nona ab Innocentio XI. damnata.

Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni peccatis caret culpâ, ac defectu veniali.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Isto bono malè utitur, qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. lib. 1. de nupt. & concupisc. c. 4. Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum Conjuge propter fidem thori venialem habet culpam. lib. de bon. Conjug. c. 6. nunquid hoc non est peccatum, amplius quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit: hoc autem dico secundum veniam. ferm. 63. de divers. c. 1. Sicut tantas vires habeat ista pudicitia conjugalis, & tantum Deo donum est, ut faciat, quod præscribunt tabule matrimoniales, in ipso quoque Thoro conjugali conflictu fortiore belligerat, ne ultra quam generandis filiis satum est, etiam ipsum conjugis corpus attrechet, valis pudicitia nec menstruatæ, nec gravidæ utitur sæminis, nec ejus ætatis, quæ
CERTUM

certum est, eas jam concipere non valere. l. 3. cont. Jul. c. 21.

Adde illud Ench. c. 78. Putari posset non esse peccatum, misceri scilicet, conjugii non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterij, sive cujusquam alterius immundicia mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante Sathana libido pertrahere, incontinentiam devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset (Apostolus) hoc autem dico, secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem jam esse peccatum neget? cum dari veniam facientibus. Apostolica autoritas fateatur.

Dices: Sacramentum matrimonii institutum est, ut sit remedium contra concupiscentiam, ergo licitum est conjugatis, misceri causa carnalis voluptatis tantum, ut devitetur infirmitas illa incontinentium. Respondeo negando consequentiam, matrimonii enim Sacramentum à Christo institutum est, ut causet gratiam, per quam vincitur concupiscentia, sicque est remedium illius.

Decima.

Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.

Undecima.

Præcepto proximum diligendi satis facere possumus, per solos actus externos.

Opponitur doctrina S. Augustini.

S. Augustinus conformiter ad illud Matth. 22. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, expol. 4. in Epist.

Joan.

Joan. dicit: *Omnia dilectio benivolentiam quandam habet erga eos, qui diliguntur: & respiciens illud 1. Joan. 3. Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate expositione 6. in eandem Epist. interrogat: Querimus, in quo opere, in qua veritate? & respondet: potest esse manifestius opus, quam tribuere pauperibus? multi hoc jactantia faciunt, non dilectione. Potest esse majus opus quam mori pro fratribus? & hoc multi volunt putari facere jactantia nominis comparandi, non visceribus dilectionis. Restat, ut ille diligat fratrem, qui ante Deum, ubi solus videt, cordi suo persuadet, & interrogat cor suum, an verè propter fratrum dilectionem hoc faciat & c. opus ergo suum probet unusquisque nostrum, utrum de vena charitatis emanet, utrum de radice dilectionis rami bonorum operum pullulent.*

Duodecima ab Innocentio XI. damnata.

Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Pro intelligenda ista propositione; Observandum est, quod Probabilistæ doceant, non esse superflua statui futuro ea, quæ sunt superflua præfenti, & parentes debere thesaurizare filiis suis. Audiamus Augustinum in hac materia discurrentem: *Magna excusatio, inquit lib. de decem Chord. c. 12. filiis meis servo. Videamus, servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis, & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei. Quare non illi potius impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse te pascit. Ex his, qua fecit, ipse pascit & filios*

filios tuos : Neque enim melius committis filiis tuis patrimonium tuum , quam Creatori tuo - - Palliare se volunt nomine pietatis & dealbare ; ut quasi propter filios videantur servare homines , quod propter avaritiam servant. Et hom. 47. Da , de quo dederit tibi Deus , ipse te divitem fecit : ideo redde illi , quod suum est. Ipse se dicit accipere , quod pauperibus datur : sibi collatum conclamat , quod in corde pauperis fuerit seminatum. Et hom. 48. c. 2. Hoc tollit fiscus , quod non accipit Christus. Et homil. 13. Quando facit Deus pauperes , probat divites , sic enim scriptum est , pauper & dives occurrerunt sibi. Vbi sibi occurrerunt ? In hac vita. Natus est ille , natus est & ille. Invenierunt se , occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos ? Dominus. Divitem , unde pauperem adjuvaret : pauperem , unde divitem probaret. Pro viribus suis unusquisque faciat , non sic faciat , ut ipse patiatur angustias. Non hoc dicimus : superflua necessaria sunt aliis. Has sancti Doctoris admonitiones parvi fecerunt Auctores præfatæ & damnatæ propositionis , uti & illi , qui docent , etiam habentem superflua posse sine peccato elicere hunc actum : Nolo erogare de superfluis status elemosynam in communibus necessitatibus. Homil. 29. ait S. Doctor : Dicitur est Christus , quando uni ex minimis fecistis , mihi fecistis. Dat de cælo , accipit in terrâ : ipse dat , ipse accipit , quasi scænus trajetium facis. Hic dat , sibi recipies sine fine mansuras. Optandum esset , ut omnes tam sæculares , quam Ecclesiastici beneficiati diligenter perpenderent , id quod dicit S. Augustinus in expolit. psal. 147. Multa superflua habemus , si non nisi necessaria teneamus , si inania quaramus , nihil sufficit.

Et atque

Fratres querite, quod sufficit operi Dei, & non quod sufficit cupiditati vestra. Forma vestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus Dei. Quere, quae sufficiant, & videbis quam pauca sint. Et serm. 219. de temp. Quidquid excepto victu mediocri, & vestitu rationabili super- fuerit, non luxuriae reservetur, sed in thesauro caelesti per eleemosynam pauperum reponatur. Quidquid enim nobis Deus, plus quam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos alijs erogandum transmisit. Consentit S. Thomas. 22. q. 32. art. 5. ubi ait: Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in precepto. Quidquid, inquit S. Bernardus Epist. 2. ad Fulcon. Prater necessarium victum, ac simplicem vestitum, de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

Ex his colligitur sufficienter, secundum S. Augustinum multa in saecularibus etiam regibus esse futura superflua, si omnes tantum necessaria & non quod cupiditati sufficit, tenerent.

Decima-tertia.

Si cum debita moderatione facias, potest absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Decima-quarta.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

Decima-quinta.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrie-

ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bonâ, multò amplius multòque certius voluntate: nam illius mala esse voluntas nunquam potest: tanquam si bonus filius Patrem velit vivere, quem Deus bonâ voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate malâ, quod Deus vult bonâ: **VELUT SI MALUS FILIUS VELIT MORI PATREM**, velit hoc etiam Deus; nempe, ille vult quod non vult Deus: iste verò id vult, quod vult & Deus: **ET TAMEN BONÆ VOLUNTATI DEI PIETAS ILLIUS POTIUS CONSONAT, QUAMVIS ALIUD VOLENTIS, QUAM HUIUS IDEM VOLENTIS IMPIËTAS.** Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem quisque suam referat voluntatem, ut aut approbetur aut improbetur. In Enchir. c. 101.

Ex quibus patet, quod secundum Augustinum bonum & pium sit desiderium, quo filius desiderat Patrem suum vivere; etiam dum Deus illum vult mori; malum verò & impium desiderium, quo filius desiderat Patrem mori, non obstante, quod idem Deus velit, nequè istud filii impii desiderium potest cohonestari per hoc, quod referat mortem illius, à quo vitam accepit, ad inordinato affectu desideratam hæreditatem. Idem est de aliis.

Huc quadrat & illud lib. de decem chotdis c. 3. *Illo vivo, quem vis mori, te homicidam tenet Deus in corde.*

Et illud lib. 12. de Trinit. c. 12. *Nec sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum &c.* Si delectatio orta ex sola illicita cogitatione v. g. ex actu homicidii cogitati sit grave peccatum, à fortiori grave peccatum est gaudium & complacentia de homicidio ut existente, & de aliena morte; signanter Patris. sicut ergo charitas, qua jubemur proximum diligere, sicut nos ipsos, prohibet sub gravi peccato, desideria efficacia; ita & inefficacia, de eodem objecto v. g. morte aliena. Adde, quod si decima quinta propositio esset vera, possit etiam esse vera hæc, quod aliquis posset licitè gaudere de pollutione nocturna, cui causam non dedit, si ad corporis valetudinem, vel ad minuendam concupiscentiam servivisset.

Decima sexta.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

Decima septima.

Satis est actum fidei semel in vita elicere.

Decima octava.

Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccatum ossum per se non damno.

Decima nona.

Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

H

Vige-

Vigesima.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem
habet supernaturalem.

Vigesima-prima.

Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat
cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formi-
dine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Opponitur S. Scriptura, Doctrina S. Au-
gustini, &c.

Decimæ-sextæ, & decimæ-septimæ contrariatur
illud Marci ultimo: *Qui non crediderit, condemnabi-
tur*, & illud S. Augustini lib. de fide & symb. c. 1. *Iustus ex fide vivit, eaque fides officium à nobis exigit, &
cordis & linguæ: ait enim Apostolus: Corde creditur ad
justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et lib. de
fide & oper. e. 23. inseparabilis est bona vita à fide, que
per dilectionem operatur. Et lib. contra mend. c. 3. di-
cit S. P. fidem justam custodiri debere. lib. 1. solil. c. 7.
anima, ut sana sit, fidem semper esse necessariam ait, & in
ench. c. 3. fide, spe, charitate, colendum Deum.*

Propositioni decimæ-octavæ adversatur illud Lu-
cæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius ho-
minis erubescet, cum venerit in majestate sua.*

Decimæ nonæ opponitur illud Augustini, lib. de
util. credendi, c. 11. *Quod intelligimus, debemus ratio-
ni, quod credimus authoritati (scilicet Dei loquentis &
trahentis per piam motionem & affectionem erga pri-
mam veritatem, mentem in obsequium fidei) cum acci-
pissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut
verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, qui ope-*

TAM

facitur in vobis, qui credidistis, inquit Apostolus, I. ad
Theffal. 2.

Vigesimæ & vigesimæ-primæ opponitur auctori-
tas S. Bernardi, qui Epist. 190. ad Innoc. Papam gra-
viter arguit Petrum Abeylardum, quia fidem defini-
verat estimationem, & vult, nihil fidei sub incerto pon-
dere, nihil in vagis ac varijs opinionibus positum, nihil
dubia estimatione pendulum, sed omnia certa ac solida
veritate niti: alioquin spes inanis esset. Confirmat hæc
S. Pauli & Augustini auctoritate, præsertim fidei defi-
nitione, videlicet, fides est sperandarum substantia re-
rum, argumentum non apparentium. Etenim fides, in-
quit, est substantia rerum sperandarum non inani-
phantasia conjecturarum. Audis substantiam, non licet
tibi in fide putare, vel disputare pro lubitu, non hæc illac
vagari per inania opinionum, per devia errorum. Sub-
stantia nomine aliquid tibi certum fixumq; præfigitur.
Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non
est enim fides estimationis, sed certitudo.

Vigesima secunda:

Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitati
medij, non autem explicita remuneratoris.

Vigesima-tertia.

Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive
motivo ad justificationem sufficit.

Opponitur doctrina S. Augustini.

Ad veram beatitudinem pervenire volentibus primo
omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet auctori-
tas: sine fide impossibile est placere Deo. Constat ergo,
neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo
placeat,

placeat, & Deo neminem posse placere, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humana salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit aeternam. Serm. 38. de temp. loquitur autem S. Pater de fide requisita ab Apostolo ad Hebr. 11. id est, de fide explicita, qua creditur, quod Deus sit author gratiæ, & inquirentibus se remunerator, per collationem præmii supernaturalis, pro bonis operibus. Ex quo sequitur, quod secundum S. Augustinum, hujusmodi fides necessaria sit ad justificationem & salutem. Hæc magis confirmabuntur ex doctrina S. Patris & S. Thomæ opponenda propositioni 64. infra.

Vigesima quarta.

Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

Opponitur doctrina SS. Augustini
& Thomæ.

Recedit anima, cum corpus percutitur gladio; & putat quis non recedit Deus, cum ipsa anima feritur perjurio? Serm. 28. de V. Apost. c. 7. Audite fratres mei, --- ante omnia nolite jurare. Quare ante omnia? si magnum est facinus pejerare, --- ante omnia nolite jurare, perjurium de sui ratione importat contemptum Dei; unde manifestum est, quod perjurium ex sui ratione est peccatum mortale. S. Th. 22. q. 98. 2. 3.

Vigesi.

Vigesima-quinta.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Vigesima-sexta.

Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus.

Vigesima-septima.

Causa justa utendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet aliam virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

Vigesima-octava.

Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Propositio vigesima-nona.

Virgens merus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Verba propterea sunt instituta, non per quae se invicem homines fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam,

non ad quod instituta sunt, peccatum est. In Enchir. c. 22. *Vsque adeo rationalis natura, refugit falsitatem, & quantum potest, devitat errorem, ut falli nolint etiam, quicumque amant fallere.* Et lib. 19. de Civit. Dei, c. 7. *Quando, quæ sentiunt, (id est, homines sociati) inter se communicare non possunt, nihil prodest, ad consociandos homines tanta similitudo naturæ; ita ut libentius homo sit cum cane suo, quàm cum homine alieno, id est, cujus linguam ignorat, ibid. c. 17.* Et quæst. 68. in Levit. *Cum falsum ab sciente dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo laedatur.* Et lib. de mendacio, c. 8. *Quomodo credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte & tunc mentietur, cum præcipit, ut credamus?* Et ibidem cap. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbum, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Inde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio, una rei ejus, quam veram esse, vel scit, vel putat, & non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans. Et c. 17. ibid. *De falso testimonio, quod in decem præceptis positum est, nullo modo quidem contendere potest, dilectionem veritatis in corde servandam, & proferendum falsum ad eum, apud quem dicitur testimonium.* Cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda est. Cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum est, quia homo non est cordis inspector.

Dices : Hanc doctrinam S. Augustini intelligendam esse de iis, qui sponte & sine rationabili causa utuntur restrictionibus mentalibus, cum juramen-

to; non verò de iis, qui ob grave periculum, aut ad magnum damnum vitandum, iis utuntur, & jurant sine animo jurandi.

Contra: una ex damnatis supra relatis ait id licere *sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocunq; alio sine sic juretur.*

Contra secundò: *Mentiens est etiam, qui mentitur invitus.* S. Augustinus lib. de mend. c. 11. Huc quadrat illud lib. contra mend. c. 18. *Sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finesque constituent, QUANDO DEBEAT, QUANDO NON DEBEAT PEJERARI. Vbi estis fontes lacrymarum! & quid facimus? quò ibimus? ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligamus cavere mendacia, sed augemus insuper docere perjuriam?* Et illud serm. 28. de verb. Apost. c. 2. *Da alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis, quàm ista DETESTANDA SIT BELLUA, ET DE REBUS HUMANIS EXTERMINANDA!* quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur. Adde & illud Epist. 224. *Expectationem eorum, quibus juratur, quisquis deceperit, perjurus est, ---- illud sanè rectissimè dici non ambigo, non secundùm verbum jurantis, sed secundùm expectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri. Nam verba difficillimè comprehendunt maximè breviter sententiam, cujus à jurante fides exigitur. Vnde perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt. Et illud tract. 7. in Joann. Est autem fraus, dolusque malus,*

sicut scire omnis, qui verba latina intelligit, cum aliud agitur, & aliud fingitur. Et lib. 3. de civit. Dei, c. 2. Quid aliud toties Senatores corrupti in judicijs, toties populus in suffragijs, vel in quibusque causis, quae apud eum concionibus agitantur, nisi etiam pejerando peccabant? nam corruptissimis moribus, ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut à sceleribus metu Religionis prohiberentur, sed ut perjuriam quoque sceleribus ceteris adderentur. Utinam his temporibus nulli sequerentur corruptissimos illos antiquorum mores!

Qui hanc Augustini doctrinam legit, & intelligit, dubitare non potest, quod sit contraria Consectariis ex principiis Probabilistarum deductis, quibus conati fuerunt persuadere, licitum esse jurare cum restrictione mentali, & sine animo jurandi.

Trigesima.

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui dicitur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel susse percutiat, & post impactam alapam, vel istum susse fugiat.

Trigesima prima.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Trigesima secunda.

Non solum licitum est defendere defensione occisiva, qua actu possidemus; sed etiam, ad qua jus inchoatum habemus, & qua nos possessuros speramus.

Trigesima tertia.

Licitum est tam heredi, quam legatario contra inju-
stas

stè impediētem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedrali, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impediētem.

Decima-septima ab Alexandro VII. damnata.

Est licitum Religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Decima-octava.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alià viâ non potest innocens damnum evitare.

Decima-nona ab eodem.

Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur, lib. 1. de civit. c. 21. Sed memoratos in propositionibus damnatis nec lex justa, nec ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet: ergo licitum non est eos occidere, lib. 22. cont. Faust. c. 70. de homicidio Moysis tractans dicit: Consultâ aternâ lege, reperio, non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum & improbum,

hum, occidi. Et infra explicans hunc locum Matth. 26. *Reconde gladium: qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet, ait: Ille autem utitur gladio, qui nullâ superiori ac legitimâ potestate, vel jubente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur. Et epist. 61. Nullis autem jubentibus legibus, ut legitimis potestatibus, non licere alterum occidere etiam volentem & petentem, & vivere jam non volentem, satis indicat Scriptura regnorum, --- proinde quia omnis, qui sine ulla legitime potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est; atqui qui occidit in vasorem nitentem calumniatam inferre, vel impingentem a lapam, & post impactam fugientem, & furem pro conservatione unius aurei, & defendit defensione occisivâ ea, ad quæ jus tantum inchoatum habet, & taliter vel se, vel suam Religionem contra minantem spargere gravia crimina, non gerit ordinatam potestatem, à nulla jubetur lege, nisi pro lege amplectatur is propositionem tertiam ab Innocentio X. damnatam (Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, consi aliquid agimus, semper prudenter agimus.) Sed sine ulla legitime potestatis auctoritate hominem occidit; ergo secundum Augustinum est homicida.*

Oppone specialiter 3imæ quoque auctoritatem S. Bernardi, qui in lib. de præcept. & disp. c. 9. dicit illum, qui necessitate se defendens occidit volentem spoliare, facinus perpetrare culpabile, licet sit culpa dispar à culpa illius, qui spoliandi causa occidit hominem.

Adde, S. Augustinum non excusare ab omni peccato illum, qui hostem irruentem, vel insidiatorem
fica.

ficarium sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia interficit, etsi à legibus civilibus permittatur talis occisio, de his enim dicit lib. 1. de arbit. c. 5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: sed quo pacto illos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Et rationem assignans ibidem ait: *Quomodo possum arbitrari carere istos libidine (id est cupiditate, quæ ad sui defensionem etiam bruta impelluntur) qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere invito, aut si non possunt, quid opus est prohis, usquè ad hominis necem progredi? Et ibid. ait: Nescio utrùm non aliquà vehementiore ac secretissimâ lege teneantur, si nihil rerum est, quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ cade polluti sunt?*

Si secundùm S. Augustinum non sint liberi à peccato, qui pro conservanda vita, quæ omnibus bonis temporalibus solet præferri, hominem occidunt, non erunt, ipso Iudice, liberi in propositionibus damnatis relati occisores.

Ne tamen inferas ex hac Augustini doctrina, in nullo casu licitum esse occidere in valorem. Contrarium enim insinuat S. D. quæst. 84. in Exod. ubi ait, non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere, quia poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & idè non debere occidi, imò & cap. jam cit. de lib. arbit. ubi dicit. *Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causâ vim hostilem eâdem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari.* Vult ergo S. Augustinus ad hoc, ut occisio invaloris

fit

fit licita, actionem occidendi debere esse liberam à libidine sive depravata cupiditate, quâ impellente, sine prudente rationis dictamine invasi instar brutorum impelluntur in occisionem aggressorum, cum deberent tantùm respicere & intendere conservationem vitæ, vel ob bonum Reipublicæ, vel familiæ, vel ut morerentur cum majori probabilitate salutis, quæ vix in talibus circumstantiis considerantur: & hinc semper ferè peccatur.

Trigesima-quarta ab Innocentio XI.
damnata.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, nè puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Trigesima-quinta.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Doctrina S. Augustini opposita.

Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos, occidat: quia quacunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se eorum causam, quos occiderit, esse daturam, Sed nec alias diabolicas potationes debent mulieres accipere (quibus nempe procuratur sterilitas) mulier autem quacunque fecerit hoc, PER QUOD JAM NON POSSIT CONCIPERE, QUANTO SCUNQUE PARERE POTERAT, TANTORUM HOMICIDIORUM REAM SE ESSE COGNOSCAT. serm. 244. de Temp.

Aliqua

Aliquando consquè pervenit hac libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret; & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, **VOLENDO SUAM PROLEM PRIUS INTERIRE, QUAM VIVERE;** aut si in utero jam vivebat, occidi, antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, conjuges non sunt. Et si ab iniis tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodam modo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris. lib. i. de nupt. & concupisc. c. 15.

Et lib. 5. cont. Julian. c. 11. Dubitat S. Pater, an majus damnum inferat, qui expellit fœtum inanimum, & facit ut homo non sit, quam qui expellit animatum, estquè causa damnationis ejus, quia non audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent (id est in damnatione levissima) potius expediret.

Huc quadrat textus C. *Si aliquis de homicid: Si aliquis causa explenda libidinis vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere vel nasci proles ut homicida teneatur.*

Specialiter S. Pater pronuntiat contra trigessimam quintam damnatam, in Enchri. c. 86. his verbis; *Negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim excantur, ut eijciantur ex uteris pregnantium, ne matres quoquè, si mortua ibi relinquuntur, occidant, impudentia nimia videtur.*

Dices, S. Patrem Augustinum ibi non loqui de vitia
ratio:

rationali, sed sensitiva. Respondeo negando assumptum. Contrarium enim patet ex ibidem subjectis verbis: *Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest: mortuus vero, ubicunque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum, sed nemo potest ad resurrectionem mortuorum pertinere, qui non vixit vitam rationali, ergo S. Pater loquitur de vita rationali. Adde illud Lucae 1. & factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth: exultavit infans in utero ejus,*

Trigesima-Sexta.

Permissum est surari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Trigesima-Septima.

Famuli & famula domestica possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Trigesima Octava.

Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furtiva, quantumcunque sit magna summa totalis.

Trigesima-Nona.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Vigesima-Sexta ab Alexandro VII.
damnata.

Quando litigantes habent pro se opiniones aequè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius praeter alio.

Oppo-

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei aliena. S. Augustinus. quæst. 71. in Exod. sub hac autem illicita rei usurpatione non solum continetur occulta, vel aperta rei, invito domino, ablatio ; sed etiam rei alienæ retentio ; ac proinde secundùm materiæ parvitatem aut gravitatem graviter aut leviter peccatur , & consequenter retentio summæ totalis magnæ per furta parva, vel per unum grave ablatæ, erit peccatum magnum, id est, mortale. Quod verificatur etiam de re notabili possessa sine ullo peccato, si possessor retineat, postquam cognoscit, non esse suam.

Notandum autem, quod, dum dicitur in extremâ necessitate permissum esse furari, non sit propria locutio, eò quod talis acceptio non sit furtum : quia in tali casu omnia sunt communia ; furtum autem ob intrinsicam malitiam nunquàm est licitum. Hinc S. Augustinus lib. 10. de Genes. ad litt. c. 13. ait : *Quis audeat affirmare, furta, mendacia, perjuria non esse peccata, nisi qui talia vult impunè committere ?* Sed hæc doctrina non terruit quosdam Probabilistas, ut patet ex præmissis propositionibus.

Huc quadrant etiam illa, quæ dicit S. Pater serm. 19. de verb. Apost. c. 2. *Paucissimi nobis*, id est, Episcopis, à quibus secundùm doctrinam Apostoli debent argui contradicentes, *contradicunt loquendo, sed multi vivendo.* *Quando mihi audet dicere Christianus, bonum esse, rapere res alienas, quandoquidem non audet dicere, bonum esse tenaciter servare res suas ? Nunquid enim dives ille, id est Evangelicus Epulo, aliena querebat ? Fructus suos*
celli-

colligere disponebat --- audite quid audierit, qui tenaciter servabat sua, & hinc intelligite, quid expectent, qui rapiunt aliena --- ait illi Deus: stulte --- si stultus est, qui recondit sua, vos invenite nomen ei, qui tollit aliena. Si sordidus est reconditor suorum, ulcerosus est raptor alienorum --- fortassis aliquis respondeat, & dicat: non valde magna poena erat illi homini, cui dixit Deus, stulte. Non sic dicit Deus, stulte, quomodo homo dicit: tale in quemquam Dei verbum iudicium est. Nunquid enim Deus stultis daturus est regnum caelorum? Quibus autem non est daturus regnum caelorum, quid eis restat nisi poena gehennarum.

Pro confirmatione hujus Doctrinae quoque servie discursus S. Patris ibid. C. 7. de pauperrimo homine, qui pecunias invenerat, sic ait: Dicam quod fecerat pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis --- pauper, sed plane Christianus --- invenit sacculum, nisi forte me numerus fallit, cum solidis ferme ducentis; memor legis proposuit pittacium publice; reddendum enim esse sciebat, sed, cui redderet ignorabat. Proposuit pittacium publice: qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quaerat hominem illum. Ille qui plangens circumquamque vagabatur, invento & lecto pittacio, venit ad hominem --- & cum omnia illi fideliter respondisset, reddidit, quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quarens vicem rependere, tanquam decimas obtulit, solidos viginti, qui noluit accipere; Obtulit vel decem: noluit accipere: saltem rogavit vel quinque accipere: noluit ille. Stomachabundus homo projecit sacculum: nihil perdidit, ait, si non vis aliquid a me accipere. Nec ego aliquid perdidit:

quale

quale certamen. Fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! Theatrum mundus, spectator Deus: victus tandem ille, quod offerebatur, accepit; continuo totum pauperibus erogavit. Vnum solidum in domum suam non dimisit. Quid est? si aliquid egi in cordibus vestris, ---- estote fideles inventores, & tunc iniquos vituperate raptores. ---- Quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti.

Certè iste homo, quem S. Pater commendat, non se immunem à peccato esse credidisset, si in gravi necessitate constitutus aliquid surripuisset, neque occultè operam suam compensasset, multò minus per facta ablatum retinuisset, &c. Neque isto tempore Casuistam invenisset, qui eum à peccato omni liberum pronuntiasset, saltem talis non fuisset S. Augustinus.

Huc facit e. si quis de furtis, ubi dicitur: *si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, nisi reddiderit, pœnitere eum oportet hebdomadas tres.*

Adde his illud Epist. §2. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest: & perpende, illum, qui causa est damni, moraliter auferre, & secundùm S. Thomam 2.2. quæst. 62. a. 7. ad 2. principalius teneri ad restitutionem, quàm executorem. Et observandum quoque hîc est, quod supra ex Augustino ostensum est, omnium cordibus impressam esse hanc regulam à formatore Deo: *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.**

Opponitur propol. 39. illud c. ultimi de injuriis: *Si culpa tuâ datum est damnum, vel injuria erogata, seu alijs*

erogantibus opem fortè tulisti, &c. super his satisfacere te oportet.

Propositioni autem ab Alexandro damnatæ specialiter opponitur id, quod S. Augustinus dicit epist. 54. Non sanè quidquid ab invito sumitur, aufertur: nam plerique nec Medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem, nec tamen hac, qui ab invito accipiunt, per injuriam accipiunt, quæ potius per injuriam non darentur, sed non ideo debet Iudex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit advocatus justum patrocinium, & jurisperitus verum consilium. Illi enim ad utramque partem ad examina adhibentur, isti ex una parte consistunt. Cum autem judicia & testimonia, quæ nec justa nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratius utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur & Ille tamen solet tanquam malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui justum judicium emit, **QUONIAM VENABLE ESSE NON DEBUI**: qui vero pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse.

Ex quibus constat, Judicem teneri, secundùm S. Augustinum, ad restitutionem, sive justam, sive inquam sententiam ferat pro pecunia.

Propositio quadragesima.

Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.

Quadragesima-prima.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, &
nullus

nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

Quadragesima-secunda.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.

Decima-quarta inter posteriores ab Alexandro VII. damnatas.

Licetum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Pro intelligenda propositione quadragesima damnata, observandum est, Contractum *Mohatra*, vel *Baratra* ab Hispanis, & *Stoco* ab Italis appellatum, tunc fieri, quando aliquis egens pecuniâ, emit pecuniâ creditâ à mercatore merces pretio summo, & statim ei pecuniâ numeratâ pretio infimo revendit, cum intentione lucri, & cum pacto revenditionis, præviè inito.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Quid dicam de usuris, quas etiam ipsa leges & iudices reddi jubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem scenore? Hæc atque hujusmodi malè utique possidentur, & vellem ut restituerentur, sed non est, quo iudice repetantur. Epist. 54.

Si sceneraberis, id est mutuam tuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus, quam dedisti, sive

illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud: si plus, quàm dedisti, expectes accipere, fœnerator es, in hoc improbandus, non laudandus. Quid ergo, inquit, facio, ut sim utilis fœnerator? Attende, quid facit fœnerator. Minus vult dare certè, & plus accipere: hoc fac & tu, da modica, accipe magna, --- da temporalia, accipe eterna: da terram, accipe calum. In Pl. 36.

Quod autem illi, qui præfatarum propositionum doctrinam ad praxin deducunt, taliter fœnerentur, & usuram pallient, expectantes reipsâ aliquid præcisè ratione mutui, patet intelligenti terminos propositionum, & quid sit supra.

Quadragesima-tertia.

Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

Quadragesima-quarta.

Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Contra has facit lex naturæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quæ sententia, inquit S. Augustinus lib. 3. de doct. Christ. c. 14. cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur, cum ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum; non debet ergo corrumpere habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi à quoquam noceri; nec ipse igitur cuiquam nocuerit.

Quadragesima quinta.

Dare temporale pro spiritali, non est simonia, quando
tempo-

temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

Quadragesima sexta.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluri aestimetur, quàm res spiritualis.

Opponitur textus Juris Canonici, & doctrina S. Thomæ.

Innocentius III. C. tua nos, de simon. Decano Belvacensi consulenti, an simonia sit, si clericus cum pacto conferat Ecclesiæ bona sua, ut illa sibi retineat pro præbenda. Respondeo: *Quod si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniae, cum in talibus pactio aut inventio cessare debeat, &c. --- Si verò purè ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, -- si ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci: & clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille, quàm isti apud districtum judicem (qui scrutator est cordium & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.*

Adde illud Alexandri III. C. de hoc autem eod. De hoc autem, quod Episcopus Exoniensis Archid. benefi-

cia, & cuidam clerico ante electionem suam prioratum dicitur promississe, ut uterque consentiret eidem, tua prudentia respondemus, quod si manifestum est, eundem Archidiaconum & clericum ob causam illam promissa recepisse, --- ab altaris ministerio, sicut perpetuo deponendi.

S. Thomas 2, 2. q. 100. art. 2. ad 5. dicit, Quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacunque dignitate, vel prebenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset adversarium obstaculum pecunia redimere. Et art. 5. ad 1. Si aliquis clericus alicui Prelato impendat obsequium -- ad carnalia ordinatum (puta quia servivit Prelato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonij sui, vel ad aliquid hujusmodi) erit munus ab obsequio, & est simoniacum. Et ad 3. dicit: Quod si aliquis ad preces alicujus conferat beneficium, si principaliter ad hoc intendat simoniam committere, id est, si non attendatur ad dignitatem personae, sed ad favorem humanum, qui per preces acquiritur. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa presumptione redditur indignus: & sic preces sunt pro indigno. Et quodlib. 8. art. 11. docet: Canonicum euntem ad Ecclesiam ob distributiones, simoniam committere, & mortaliter peccare, si recipiat distributiones, quasi finem sui operis principaliter intentum: quia in qualibet venditione pretium accipitur quasi finis.

In 4. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 4. ait S. Doctor: Qui dat aliquid spirituale, -- si principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis. Quantum ad iudicium divinum simoniam committit, & rogatus, & rogans, si hoc intendat.

Quas

Quadragesima-septima.

Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo propositivo; vel secundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tantùm loquitur tertio, quando fit concursus.

Legenti textum & intelligenti, clarè apparet falsitas propositionis.

Quadragesima-octava.

Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Quadragesima-nona.

Mollities jure natura prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sepe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Opponitur S. Scriptura, & Doctrina
S. Augustini.

Apostolus I. ad Cor. 6. dicit: Quod ille, qui meretrici adheret, unum cum ipsa membrum efficiatur, & in corpus suum peccet, &c. Cum verò imaginem, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per affluentias libidinis, attendis, quia nullius uxorem accessisti; attendis, quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes: & non attendis per libidinem, & illicitas &

fornicationes, cuius imaginem violasti? l. de decem chord. c. 10.

Nihil esse sentio, quod magis ab arce deiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque, ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. L. 1. Solil. c. 10.

S. Augustinus lib. 3. Confess. c. 8. dicit: Flagitia, quae sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda esse, --- violatur quippe ipsa societas, quae cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ille auctor est, libidinis peruersitate polluitur. Et lib. 4. cont. Julian. c. 5. Quando autem male utitur homo membrum bonis, nisi quando consentit eis, quae in nobis habitant cupiditatibus malis? In quibus libido praeter ceteris turpis est, cui nisi resistatur, horrenda immunda committit. Quo malo bene non utitur, nisi sola pudicitia conjugalis. Et ibidem c. 12. Elegerunt, id est Stoici, in pecoribus potius, quam hominibus, quod tu facis, laudare libidines. Eorum quippe opinionem convenienter ait quodam loco Tullius, (se non putare, idem esse arietis & Publij Africani bannum) quae magis sententiam te oportuit admoneri. Et lib. 4. contra Julian. cap. 14. Nonne illi, id est libidini, totus animus & corpus impenditur, & ipsius mentis quasi submersione illud extremum ejus impletur? Et lib. 5. cap. 10. Quid enim cogitari potest tunc, quando mens ipsa, quae cogitatur, illa carnali delectatione submergitur? Lib. 14. de Civ. cap. 16. Cum sint multarum libidines rerum, tamen cum libido dicitur, nec cuius rei sit libido, additur, non ferè assoler animo occurrere nisi illa, quae obscena partes corporis excitantur. Hac enim sibi non

non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vendicat, totumque commovet hominem, animi simul affectu, cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ea voluptas sequatur, quam major in corporeis voluptatibus nulla est; ita ut momento ipso temporis, quo ad eum pervenitur extremum, penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur.

Ex his satis constat, quòd tam mollities, quam fornicatio secundum Augustinum non solum sit mala, quia lege positivâ prohibita est, sed etiam intrinsecè & secundum se.

Quinquagesima.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Doctrina S. Augustini opposita.

Secundum doctrinam sanam mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. --- Si autem mortuus, hoc est de corpore exierit, evacuata est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. --- Hac verba Apostoli toties reperita, toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. lib. 2. de adult. Conjug. cap. 4. Et ibidem cap. 9. Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Ergo consequenter, & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hac alligatio facit, ut alijs conjungi sine adulterinâ copulatione non possint &c. Sed dum habetur copula cum conjugata consentiente ejus marito, vir vivit, & illa manet ipsi alligata; ergo vocanda est secundum Augustinum adultera, & copula ista

la ista est adulterium. Confirmatur ex lib. de fide & oper. cap. 7. ubi S. Pater ait : *In civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat, viro uxorem suam alteri tradere : quod in Republica Romana non solum minimè culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neq̄, hinc diutius modo disputare opus est, cum illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque negent, esse adulterium; nè ipso Domino, sanctoq̄, Evangelio aperte convincantur obsistere &c.* Sed propositio damnata negat esse adulterium; ergo non solum S. Augustino, sed ipsi Domino, sanctoque Evangelio oblitit.

Secundum S. Thomam 2. 2. q. 154. num. 8. *adulterium est accessus ad alienum thorum, sed non obstante consensu mariti, est accessus ad alienum thorum ergo.* Huc quadrat quoq̄, illud Epiphani Hær. 26. de Groticis : *ubi compotarunt --- ad castrum se converterunt, & vir quidem concedens uxorem alteri ad ipsam dicit : surge & fac dilectionem cum fratre.*

Dices : S. Augustinus, postquam L. 22. cont. Faust. c. 36. egerat de facto Abrahæ, qui pro vitæ conservatione occultavit se esse maritum Saræ; movet c. 37. dubium : *Vtrum illius mulieris pudicitia violaretur, etiamsi quisquam carni ejus commixtus foret, cum id in se fieri pro mariti vita, nec illo nesciente, sed jubente permitteret --- sicut ille adulter non fuit, quando uxoris obtemperans potestati de ancilla prolem generare consensit.* Idem dubium movet l. 1. serm. D. in monte c. 16. Respondeo

Spondeo cum Hauzeur tom. 2. Anatom. doctrinæ Augusti. in cit. c. II. S. Patrem de hoc non dubitasse, secundam legem gratiæ & Sacramentum matrimonii, & secundum legem naturæ quoque capit. cit. contra Faustum resolvissè negativè, ait enim: Propter vim principiorum, quia non ita duobus viris scemina subditur, sicut duæ scemina uni viro: multò verius & honestius illud accipimus. Id est, non licere.

Adde canonem 70. Concilii Illiberit: Si conscio marito, & ipso consentiente fuerit uxor mæchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem, si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.

Quinquagesima prima.

Æmulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras, ad stuprandum virginem, & multoties eidem subseruit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne damo expellatur.

Opponitur S. Scriptura & Doctrina S. Augustini.

Apostolus ad Rom. I. dicit: Qui cum iustitiam Deû cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Adde illud Matthæi 5. quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Doctrinam S. Augustini oppositam vide infra post propositionem 61. & 62. &c.

Quia

Quinquagesima secunda.

Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

Opponitur Doctrina catechismi Romani.

P. 3. c. 4. §. 15. quæritur, quamobrem ad diem Dominicum alia festa christianis accesserunt? & respondetur: *istud ab Ecclesiæ initio & consequentibus deinde temporibus Apostoli & sancti Patres nostri instituerunt, dicti catech. habetur: ut piè & sanctè Dei beneficiorum memoriam coleremus, festos inter eos celeberrimi habentur illi, qui ob redemptionis nostræ mysteria religioni consecrati sunt; deinde qui SS. Virgini Matri; tum verò Apostolis, Martyribus, cæterisq; Sanctis cum Christo regnantibus dicantur: in quorum victoria Dei bonitas & potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur atq; ad eorum imitationem fidelis populus incitatur &c. & §. 22. in fine habetur, quod hoc officium celebrandi festa sine gravissima culpa prætermittere non possimus.*

Quinquagesima tertia.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ, de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus, audit.

Sin ita, etiam, qui decem aut plures à pluribus audit, satisfacit.

Adversatur huic doctrinæ præceptum Ecclesiæ, juxta quod dominicis & festis diebus tenemur interesse uni missæ, & concilium Agathense quod C. 31. jubet audire die Dominica, non partes missarum sed totas missas. Sic enim statuitur cit. cap. in Sum. Concil. Caranza: *Missas die dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus &c.*

Quin-

Quinquagesima quarta.

Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

Opponitur.

Si propositio hæc vera esset, sequeretur etiam illum, qui in quadragesima, non nisi decies aut duodecies potest jejunare, nulla die teneri jejunare, quia nempe major pars trahit ad se minorem, sed hoc non est dicendum, quia quando legis obligatio est dividua, si tota aut major pars non possit impleri, tenemur implere alias.

Propositio quinquagesima quinta.

Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Opponitur Cap: *omnis utriusque sexus, de pœnit.*

Jubemur dicto capit. Eucharistiæ Sacramentum ad minus circa pascha reverenter sumere &c. & finis hujus præcepti est spiritualis animæ refectio, quam nemo consequitur per communionem sacrilegam; committit autem in legem *qui legis verba complexus, contra legis nititur voluntatem.* R. J. in 6.

Quinquagesima sexta.

Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Opponitur doctrina S. Augustini.

De ipso autem cursu vestro bono, rectoque condiscite, vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere. lib. de don. perl. 6. 22. Sed cursus eorum inveteratorum

consuetudinariorum, qui instar gentiliū vivunt, non est bonus, neque rectus; & consequenter non est nota prædestinationis; sed potius reprobationis: imò est nota quod confessiones, & communiones eorum sint sacrilegæ, etsi interdum à parte rei derur in illis dispositio sufficiens scrutatori cordium Deo nota.

His adde illud homil. 50. c. 5. *Salutem Deus promisit perseverantibus in charitate, non in iniquitate, ubi autem charitas est, opera illa mala à regno Dei separantis esse non possunt; sed consuetudinarii illi gentiliter viventes non exhibent signa perseverantiæ in charitate, sed in iniquitate; ergo frequens eorum confessio, & communio non est nota, quod sint ad salutem prædestinati, sed potius ob perseverantiā in iniquitate, reprobati & damnandi.*

Quinquagesima septima.

Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Opponitur doctrina Trid. S. Augustini &c.

In Trid. Sess. 6. can. 3. habetur. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, acque ejus adiutorio, hominem pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur anathema sit.*

Qualis secundum S. Augustinum, & s. Thomam requiratur contritio ad obtinendam justificationem in Sacramento, sive quod non sufficiat concepta ex solo metu gehennæ, sed requiratur dilectio Dei, probatum est in Dissert. de necessit. & suffic. pœnitentiæ. Quid senserit S. Bernardus, patet ex serm. 1. in oct. Paschæ ubi ait: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus,*

aquæ

aqua & sanguis. In aqua quidem baptismum intellige, in sanguine martyrium, in spiritu charitatem, spiritus enim est qui vivificat, & fidei vita dilectio. Denique si queris, quid spiritui & charitati? Respondeat Paulus: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c. necessario quoque spiritus additur aqua & sanguini, cum eodem Apostolo teste, sine charitate quidquid habeas, nihil profit. Ex quibus colligitur, secundum Doctorem Mellissimum ad consequendam per baptismum aquæ (idem est de Sacramento pœnitentiæ) justificationis gratiam, homini adulto necessariam esse aliquam dilectionem Dei propter se.

Quid senserit Doctor Subtilis patet ex comment. in 4. dist. 20. q. unica ubi asserit, pœnitentiam quæ in extremis haberi videtur, vix esse veram & sufficientem ad salutem, quia non est propter Deum, sed tantum ex timore pœnæ imminentis, cum oporteat non solum timere iudicem, sed diligere, qui, ut delere possit commissam, charitatem & amorem quarit, & non timorem. Neque dicas, agi ibidem de pœnitentia extra Sacramentum, quia oppositum constat ex probatione primæ conclusionis: Conclusio, ait, probatur: quia tunc impeditur usus liberi arbitrii, vel usus rationis & voluntatis ex dolore vel timore &c. actus autem displicentiæ de peccato ad hoc quod sit sufficiens ad veram pœnitentiam, sive intrinsecam solam, sive ad DIGNAM SUSCEPTIONEM SACRAMENTI, requirit liberum usum rationis, & voluntatis.

Quid senserit P. Paulus Comitulus notum fit ex hac illius assertione: plures magni Theologi in pœnitentia, an-

sequam

tequam absolvatur contritionem veram charitate formata
tam requirunt, nec usque adeò certum est attritionem pe-
nitenti esse satis. L. I. Resp. mor. c. 32.

Quinquagesima octava.

Non tenemur confessario interroganti fateri peccati a-
licujus consuetudinem.

Opponitur.

Juxta Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. & 8.
confessarius debet fungi officio judicis & medici: tali
autem ritè fungi non potest, nisi peccator fateatur pec-
cati consuetudinem, id est, nisi aperiat, quanto tempo-
re in tali statu fuerit. Consuetudinariorum enim vul-
nera aliter curanda sunt, quam aliorum, & difficilius
curantur. Juxta illud Salomonis Eccl. 10. *languor
prolixus gravat medicum, brevem languorem præcidit.*

Hinc Christus Marci 9. curaturus filium haben-
tem spiritum mutum &c. *Interrogavit patrem ejus:
quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Sæpè enim
contingit, quod omnibus examinatis confessarii depre-
hendant, præteritas confessiones fuisse sacrilegas: quia
etsi asserant, se dolere de peccatis, & velle emendare, id
est, velle restituere, velle odia deponere, occasiones
proximas fugere, consuetudinem deserere &c. non ta-
men dolent, neque præstant. Hinc prudenter mo-
nuit P. Caspar Barzæus l. 4. c. 23. non semper confes-
sioni talium statim addendam esse absolutionem.
*Confessionem, inquit, non continuo sequatur absolutio, sed
biduum, triduumve dabitur eorum pectoribus certarum
rerum meditatione preparandis, ut interim animorum
maculas lacrymis ac voluntarijs eluant pœnis. Si quid cui
debent*

debet restituant: simulatibus, si quas habent depositis, redeant cum inimicis in gratiam, à libidinis consuetudine, ceterisque flagitijs expediantur. Hæc omnia absolutionem præcedunt rectius, quàm sequuntur. Namque istiusmodi homines in ipsa confessione promittunt, se cuncta facturos; post absolutionem fidei datæ immemores, &c. Sic mentitur iniquitas sibi, psal. 36. De his egi prolixius in dissert. de suff. & necess. pœnit.

Sexagesima.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

Doctrina S. Augustini opponitur.

Multi assidue se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare; confessio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur. Pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Serm. 7. de Temp.

Sexagesima-prima.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimò directe, & ex proposito quarit, aut ei se ingerit.

Sexagesima secunda.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Sexagesima tertia.

Licitum est, quarere directe occasionem proximam

K

peccan-

peccandi, pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

Decima tertia inter posteriores ab Alexandro VII. damnata.

Non est obligatus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset, ad oblectamentum concubinarij, vulgò Regalo, dum deficiente illâ nimis agrè ageret vitam, & alia epula tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Quid S. Augustinus sentiat de hujusmodi occasionibus, satis declarat lib. I. de serm. Domini in monte, c. 13. ubi explicans textum Matth. 5. Quòd si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, & projice abs te, ait: *Quidquid est, quod significat oculus, sine dubio tale est, quod vehementer diligitur: solet enim & ab eis, qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici: Diligo eum, ut oculos meos, aut etiam plus quam oculos meos. Quòd autem additum est dexter, fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intendantur, & si ambo intendantur, equaliter possint: amplius tamen formidant homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus: QUIDQUID ILLUD EST, QUOD ITA DILIGIS, UT PRO OCULO DEXTRO HABEAS, SI SCANDALIZAT TE, ID EST, SI TIBI IMPEDIMENTO EST AD VERAM BEATITUDINEM, ERUE ILLUD, ET PROJICE ABS TE. Ex hoc unico S. Doctoris testimonio sufficienter innotescit, ipsum sentire, non solum*

solum pro ullo bono non esse quærendam occasionem proximam peccandi, sed etiam omnia gratissima & utilissima, si hujusmodi occasionem præbeant, esse abjicienda.

Huc facit illud Apostoli ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Et illud Eccl. c. 3. *Quis amat periculum, peribit in illo.*

Sexagesima quarta.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissima Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

Propositio Sexagesima quinta.

Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Qui ignorat ista mysteria, secundum Augustinum, ignorat ea, quorum cognitio necessaria est non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate mediæ in statu gratiæ ad justificationem & salutem, omnibus adultis usu rationis pollentibus, ut patebit ex sequentibus. Nam lib. de corrept. & grat. c. 7. ait: *Nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit. Quanto minus se liberabunt, qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus? Iustior enim videtur excusatio dicentium: Non accepimus audientiam, quam dicentium: Non accepimus perseverantiam &c. Et l. de nat. & grat. c. 2. Si non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari*

& redimi - - nullo modo potest, nisi per fidem, & sacramen-
 tum sanguinis Christi. Et lib. de spir. & lit. c. 29. Fide
 Iesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis in-
 choatur in re, & quantum perficienda exspectatur in spe.
 Et lib. de præd. SSd. 7. dicit de Cornelio: Cujus accepta
 sunt eleemosyna, & exaudita orationes, antequam credi-
 disse in Christum, nec tamen sine aliqua fide donabat &
 orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non credide-
 rat? sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum a-
 dificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus. Et
 Tract. 45. in Joan. Non est cuiquam spes vera & certa
 semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quæ est Christus.
 Fundata est hæc S. Augustini doctrina in sacra Scrip-
 tura, signanter in illo Marc. ult. Prædicate Evangelium
 omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus
 erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Et illo Jo-
 an. 17. Hæc est vita aterna, ut cognoscant te Deum verum,
 & quem misisti Iesum Christum. Et conformiter ad hanc
 doctrinam Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. inter
 prima credibilia ad justificationem necessaria ponit fi-
 dem explicitam Christi, dicens: Disponuntur autem ad
 ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fi-
 dem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, cre-
 dentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt;
 Atque illud in primis à Deo justificari impium, per gratiam
 ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Consentit S. Augustino S. Thomas 2, 2. qu. 2. art.
 7. in corp. ubi ait: Via autem hominibus veniendi ad
 beatitudinem est mysterium Incarnationis & Passionis
 Christi. Dicitur enim Act. 4. Non est aliud nomen da-
 tum

sum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, --
*Omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per
 invocationem Trinitatis, secundum illud Matth. ultimo,
 Euntes &c. Et art. 8. inquit: Ideo post tempus gratiæ di-
 vulgata tenentur omnes ad explicitè credendum myste-
 rium Trinitatis, & habere fidem explicitam de mysteriis
 Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ec-
 clesia solemnizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt
 articuli Incarnationis.*

Dixi supra: *Usu rationis pollentibus*, ad excluden-
 dum parvulos, & amentes, imo & quosdam alios a-
 dultos, qui fortè ita stupidi sunt, ut adhibitâ omni di-
 ligentiâ ista mysteria ne quidem confusè, & quantum
 ad substantiam possint apprehendere, quod & oppo-
 sitæ sententiæ Doctores admittere deberent, si inveni-
 rentur aliqui tam hebetes, & rudes, ut Deum aucto-
 rem & provisorum supernaturalem non possint ap-
 prehendere. Dixi fortè, quia exceptis amentibus, vix
 dabitur aliquis usu rationis polleus tam obrusus, ut
 nequeat adhibitâ diligentia, & consilio aliorum pau-
 cos fidei articulos intelligere, saltem quoad substan-
 tiam. Non enim necessarium est, ut dicta mysteria
 percipiantur tam distinctè & subtiliter ab omnibus,
 quàm percipiuntur à doctis Theologis.

Dices: A quo consilium petet homo rudis, & in
 sylvis enutritus, inter barbaras nationes, qui nihil un-
 quam audivit de Christo, nec audire potuit, qualis et-
 iam post Evangelium promulgatum dari potest? Et
 quis instruet puerum in primo usus rationis instante, in
 quo secundum S. Augustinum, & S. Thomam debet

credere in Deum, & ad eum se convertere?

Respondeo: Si pueri illi per peccata non ponant obicem, serventque per gratiam Dei præcepta naturalia, instruentur, urgente præcepto, vel immediatè à Deo, vel ministerio hominum, vel Angelorum de istis mysteriis, quorum explicitam fidem Deus post promulgationem Evangelii per totum orbem terrarum, voluit esse medium necessarium ad salutem adultorum ratione utentium. Adde, quando dicitur, puerum in primo instanti usus rationis debere credere, & convertere se ad Deum, intelligendum esse de instanti morali, includente aliquam temporis moram, in quâ poterit instrui vel à Deo, vel ab aliis. Hic autem extraordinarius instructionis modus in talibus casibus exigitur ab ipso statu gratiæ, cum enim hic supponat ex parte voluntatis aliquam dispositionem supernaturalem ad justificationem, supponit etiam proportionatam cognitionem ex parte intellectus, & exigit, ut ad eam adultis non ponentibus obicem, urgente præcepto, detur auxilium sufficiens.

Dices secundò: Secundùm S. Augustinum lib. 1. ad Simpl. qu. 2. Cornelius, ad quem fuit missus S. Petrus, fuit justificatus antequam hic mitteretur; ergo ad justificationem non est necessaria fides explicita Christi &c. Respondeo distinguendo consequens: Ergo non est necessaria post Evangelium sufficienter promulgatum, nego: ante sufficientem promulgationem, concedo consequentiam. Et dico, quòd Cornelius ante promulgationem sufficientem fuerit justificatus per fidem implicitam Christi, & post Evangelii

in Provinciâ ipsius promulgationem, incipiente jam necessitate fidei explicitæ, ob opera bona per Dei gratiam ab ipso exercita, fuisse missum S. Petrum ad eum baptizandum, & instruendum, ut explicitè crederet in Christum.

Dices tertio: Ab Apostolo ad Hebr. xi. omnia posita sunt, quæ debent credi explicitè, dum inquit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; ergo non est dicendum, quod Augustinus voluerit, necessarium esse, credere explicitè mysterium Incarnationis. Probaturs consequentia, quia in citato loco Apostolus non facit mentionem mysterii Incarnationis.

Respondeo distinguendo antecedens: ab Apostolo posita sunt, quæ debent credi à quolibet homine, in quocunque statu, concedo, posita sunt, quæ debent credi explicitè in statu gratiæ ex institutione & beneplacito Dei, nego antecedens, & consequentiam. Licet autem Apostolus non fecerit mentionem de Christo, non tamen asseruit, fidem explicitam mysterii Incarnationis non esse necessariam in statu gratiæ.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Proponuntur & solvuntur argumenta, quæ solent obijci contra doctrinam præcedentium paragraphorum.

PROCLIVIORES SUMUS, QUÆRERE
POTIUS, QUID CONTRA EA RE-
K 4 SPON-

SPONDEAMUS, QUÆ NOSTRO OBJICI-
UNTUR ERRORI, QUAM INTENDERE,
QUAM SINT SALUBRIA, UT CAREAMUS
ERRORE. S. Augustinus lib. de nat. & grat. c. 25.

Objicies primò : Ille non peccat, qui sequitur
opinionem, quæ nititur gravi, & solida ratione, nec
est contraria S. Scripturæ, aut traditionibus, nec san-
ctis Patribus; sed minus probabilis in concursu proba-
bilioris, stantis pro lege naturali &c. potest esse talis;
ergo tunc saltem non peccat eam sequens. Respondeo
distinguendo majorem: non peccat, qui sequitur opi-
nionem, quæ nititur gravi & solida ratione, &c. si ista
ratio sit verè conformis veritati, hocque sensu verè
solida, & opinio verè sit conformis sacræ Scripturæ,
traditionibus, & sanctis Patribus, concedo: si appa-
reat tantùm talis, & revera non sit talis, nego mayo-
rem, quia si hoc sufficeret ad conscientiæ securitatem,
quòd alicui aliqua opinio appareat conformis veritati
& legi ob rationem aliquam ipsi visam gravem & soli-
dam, summi Pontifices non proscripsissent ista opinio-
num monstra, quibus mendacia, calumniæ, perjuriam,
usuræ, simonia, homicidia, &c. excusabantur à pecca-
to, eò quòd auctoribus earum, & practicantibus eas
viderentur niti gravibus, & solidis rationibus, & ob
eas non difformes Scripturæ, traditionibus, & Patri-
bus, etsi contraria & probabilior sententia assereret,
esse contrarias. Deinde hoc modo etiam hæretici ex-
cusarentur à peccato, quia ipsis etiam suæ opiniones
videntur niti gravi & solidâ ratione, gravi auctori-
tate, & conformes esse sacræ Scripturæ, traditionibus,
&

& Patribus. Imò Pilatus, qui Christum morte dignum
 iudicavit, asserentibus Judæis, & principibus eorum,
 se legem habere, secundum quam deberet mori. Et
 Turcæ cū Ethnicis excusabiles essent, qui sequentes ex-
 empla parentum, aliorumque majorum, & statuta
 gentis opinantur, & concludunt, fornicationem &
 pollutionem non esse malam, & quodlibet genus er-
 rorum posset sic defendi, quia possunt videri niti ejus-
 modi erroneæ opiniones gravi ratione, ut Caramuel
 Probabilistarum facile princeps fatetur lib. 4. Theol.
 moral. n. 1559. asserens, *Deorum pluralitatem, stando
 principiis naturalibus, defendi posse, & propugnari.* Et
 num. 1563. *Prudentiam humanam viribus naturæ reli-
 ctam probabilissimè posse credere, dari plures Deos.* Item,
 non posse convinci ulla ratione, quod pollutio & simplex
 fornicatio jure naturæ prohibeantur; ex qua doctrina
 pullularunt hæc damnatæ: *Tam clarum videtur, fornicationem
 secundum se nullam involvere malitiam, & solum
 esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi
 dissonum videatur. Mollities jure naturæ prohibita non
 est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, &
 aliquando obligatoria sub mortali.*

Iudicet prudens Lector quantum distet à doctrina
 Caramuëlis, ille (cujus iudicio Caramuël singularis fuit,
 & passim ei ab omnibus contradicitur) ille inquam, qui
 ut supra etiam dixi, docet, non posse adduci rationem vel
 unicam, quod fornicatio simplex, si sit mutuus consensus in
 copulam, & provideatur proli de honesta educatione, sit
 jure naturæ illicita, & cur jure naturæ prohibeatur pollu-
 tio, quando conjugalis copula non est copia & aliter mors

vitari non potest, ob seminis corruptionem, & cur minus jure naturæ per se loquendo liceat abigere semen corruptum, quam liceat fundere sanguinem corruptum, licet concomitanter fundatur incorruptus. Cui videtur, non posse assignari ullam rationem cur fornicatio jure naturæ in tali casu & similibus sit prohibita, mihi videtur, illi videri fornicationem etiam spectatam præcisè secundum se, seclusâ lege positivâ, nullam involvere malitiam, & si lex positiva non obstaret, posse rectam rationem dictare dictamine tam certo & claro (conformiter ad illud Caramuelis in Theol. fundam. n. 568. quod ipsura non tam probari, quam demonstrari existimo) fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur. Qui judicat, non posse vel unicam assignari rationem, cur jure naturæ prohibeatur pollutio in dicto casu, & similibus, mihi videtur judicare, mollitiem, si Deus eam non interdixisset, per legem positivam, sæpè esse bonam, & obligatoriam &c. quomodo ergo receditur à doctrina illorum, quibus ascribuntur damnatæ? Illis enim ideò visum fuit tam clarum, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, quia visum fuit tam clarum, si Deus eam non interdixisset, in variis casibus eam esse licitam, ut contrarium rectæ rationi dissonum videretur, & mollitiem jure naturæ non esse prohibitam, quia judicarunt nullam non solum posse adduci rationem convenientem quod in omnibus casibus esset mala, sed etiam interdum esse obligatoriam, sub peccato mortali &c. Redeundo ad objectionem, supposita veritate minoris, quod opinio minus probabilis

sic

fit verè talis, id est, conformis doctrinæ SS. Patrum & Legi &c. distinguo consequens : ergo sequens eam non peccat, contra legem, concedo : contra conscientiam, nego consequentiam. Ille enim, qui in conflictu opinionum contradictoriarum sequitur minus probabilem, facit, quod verisimilius iudicat, non esse faciendum.

Objicies secundò : Qui operatur prudenter, non operatur malè ; sed qui in concursu propositionum contradictoriarum sequitur minus probabilem, relicta probabiliore operatur prudenter ; ergo non operatur malè. Major patet. Minor probatur : quia ille, qui in tali concursu eligit minus probabilem, sequitur opinionem nitentem gravi auctoritate &c. ergo operatur prudenter.

Respondeo negando minorem, & ad probationem consequentiam, quia petitur principium. Hoc est enim, quod negamus, nempe illum operari prudenter, qui sequitur opinionem minus probabilem, relicta probabiliore & tutiore, si enim omnis opinio probabilis, siue nitens ratione aut auctoritate alicujus momenti esset prudens, siue sufficiens conscientia & morum regula, ut adversarii supponunt, & non probant, non tot propositiones laudati Summi Pontifices prohibuissent sub tam gravi pœnâ. Ille igitur operatur prudenter, qui in concursu contradictoriarum eligit, & sequitur probabiliorem &c. quæ stat pro lege & officio, relicta illâ, quæ stat pro libertate & commodo contra legem. Confirmatur hæc responsio. Sicut enim in negotiis temporalibus operans juxta opinionem

minus

minus probabilem in concursu probabilioris, non operatur prudenter. V. G. ingrediens sylvam, quam probabilius judicat esse receptaculum latronum; aut sumens cibum vel potum, quem probabilius judicat infectum veneno, ita à fortiori non operatur prudenter, qui in rebus ad salutem animæ pertinentibus, sequitur minus probabilem relictâ eâ, quæ stat pro lege; quamque operans probabilius judicat esse conformem legi, suamque operationem displicere Deo.

Instabis: Qui sequitur opinionem *certò probabilem*, ille non peccat, sed qui in concursu contradictoriarum sequitur minus probabilem, sequitur opinionem *certò probabilem* ergo. Probatur minor; quia qui sequitur minus probabilem, sequitur opinionem, quæ nititur, aut ratione magni ponderis, aut gravi auctoritate; sed talis opinio est *certò probabilis*. Ergo qui sequitur minus probabilem, sequitur *certò probabilem*.

Respondeo negando majorem; & iterum dico, peti principium, quia hoc quæritur, an qui sequitur opinionem *certò*, aut etiam evidenter probabilem, non peccet in ullo casu.

Dices: Major illa est certa. Nego assumptum, neque enim certa est certitudine fidei, neque naturali, eum non sit per se nota, neque demonstrabilis à priori, aut posteriori; sed habeat annexam formidinem, ne operatio sit mala. Est ergo tantum probabilis, ad summum, & in certa, & consequenter talis erit conclusio ex illa deducta. Unde qui in operando nititur tali fundamento est similis illi, qui in ambulando innititur baculo arundineo: ille verò qui sequitur sententiam probabilem.

abiliorem, innititur firmiori columnæ, ait P. Gonet in manuali suo.

Urgebis, distinguendum esse inter probabilitatem dubiam & certam. Item inter certam & probabiliorem certam, majorem autem esse certam certitudine probabili.

Respondeo cum S. Augustino lib. 2. contr. Academic. c. 9. *Auferantur de manibus nostris sabella. De moribus, de anima res agitur.* In rebus autem ad salutem animæ pertinentibus semper veritas affectanda & spectanda est, neglectis hujusmodi inani studio excogitatis terminis, & regulis, ad inveniendam potius Probabilitatem, quam veritatem, quæ sola præstat securitatem in dubiis Juris naturalis & positivi divini, sufficienter promulgati. *Ecce, inquit S. Augustinus hom. II. Dat tibi securitatem Procurator, quid tibi prædest, si Pater familias non acceptet? Procurator sum, servus sum, vis tibi dicam, vive sicut vis. Dominus te non perdet. Securitatem tibi Procurator dedit: Nihil valet securitas Procuratoris. Utinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te securum facerem: Domini enim securitas valet, etiamsi nolim, mea nihil valet, si ille noluerit, &c.* Sed hujusmodi à Probabilistis excogitatis regulis & terminis Dominus non dat securitatem, neque sanctus Augustinus cum aliis Patribus, neque ulla evidens probatio, neque per se notæ sunt, intellectis tantum terminis, ergo nihil ad rem facit talis distinctio. Adde, quod certitudo probabilis, sit certitudo dubia, & certitudo incerta, ac proinde non magis sit certitudo, quam homo mortuus sit homo vivus.

Et

Ex præcedenti responsione ad objectionem & instantiam (quibus tangitur præcipuum adversariorum fundamentum, & arx, quam ob reflexas, & reflexo reflexas præmissas putant esse insuperabilem) patet, quam efficax sit argumentum nuper propositum: Prudenter agit, quicumq; sententiam sequitur simpliciter & strictè probabilem; ergo & licitè, probatur antecedens: quia talis sententia nititur motivo gravis simpliciter momenti, sive potente ab intellectu viri docti obtinere assensum; ergo iste assensus est assensus prudens. Stando enim sententiæ sic argumentantis, secundum quem illa propositio est strictè & practicè probabilis, quæ omnibus consideratis, etiam rationibus oppositis, ob quas in concursu contradictoriarum judicatur, alteram esse tutiorem & probabiliorem, nititur motivo potente prudenter determinare intellectum viri docti & pii &c. Stando inquam huic sententiæ, negatur, in concursu minus probabilem &c. niti tali motivo, omnibus enim consideratis, ut sæpè dictum fuit supra, judicatur, quod verifimilius sit illam esse falsam & contrariam legi ac proinde non potest prudenter determinare intellectum viri docti & pii, ad assentiendum, cum secundum S. Thomam. 2. 2. q. 53. art. 5. in argumento, sed contra, ad prudentiam pertineat præferre majus bonum minus bono, & ad imprudentiam desistere à meliori, & consequenter in præsentia materia ad prudentiam pertineat, præferre tutiorem & probabiliorem, & præferre minus probabilem pertineat ad imprudentiam. Qui se periculo exponit, non operatur prudenter; ille autem qui in concursu sequitur minus probabilem &c. exponit se peric

periculo ; ergo. Huc facit illud S. Augustini contra Donat. supra cit. *efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum est peccatum.* Et glossa in C. 1. de sententia excommunicationis, *stultus est, qui se discrimini committit, quia, ut addit ibidem Joannes Andreas celebris canonista, magis accedit ad id, quod est falsum, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, &c.* Sed qui in concursu sequitur minus probabilem &c: nam, sive quam probabilius judicat esse falsam, & legi contrariam, magis accedit ad id, quod est falsum in rebus ad salutem animæ pertinentibus ergo &c.

Quare opponens frustra se fatigat in applicandis regulis suis, de reflexis & reflexo reflexis, ad deducenda ex iis judicia practica certa & evidentia, etiam contradictoria, ex contradictoriis, quarum unam esse falsam, certum est, de honestate vel in honestate operationis. Sed,

Dicet: *ego prudenter judico, quod prudenter judicant gravissimi & doctissimi viri &c. Sed talis viri judicant, quod in concursu minus probabilis, & probabilioris ac tutioris licitum sit sequi minus probabilem; ergo &c.* Retorqueo argumentum; *ego prudentius judico, quod viri sanctissimi & gravissimi, Augustinus, Thomas Aquinas, &c. Pontifices, Concilia, & plurimi alij, doctissimi, supracitati antiqui & recentiores prudenter judicant; sed isti viri, ut probatum est, judicant, in concursu minus probabilis, & probabilioris atque tutioris in rebus ad salutem animæ pertinentibus, non esse licitum sequi minus probabilem &c. ergo.*

Quanti æstiment processum à directis ad reflexas,
& ab

& ab his ad deductionem judiciorum practitorum contradictoriorum etiam, ex quibus opponens deducit, V. G. *in die festo esse licitum pingere & non esse licitum* (qui processus creditur, tam clarè & evidenter institutus, ut nulla supersit ratio gravis momenti) quanti inquam eum æstiment nostræ sententiæ propugnatores, patet ex libris eorum. Nos ridemus (inquit Vincentius Baronius Tomo 1. ethicæ Christ. disp. 1. loc. 2. pag. mihi 77.) hujusmodi reflexiones, quæ tantum abest, ut mentem firment, ac judicium practicum de honestate actionis, quin potius, si seria sit reflexio, demonstret, nihil tutum posse illi astrui, & adeo caducam esse, ut quidquid ipsi immolietur, in pejus sit ruiturum. Ad quid ergo toties decantata & obrusa reflexio? hoc perinde esset, ac si qui roboraturus hominem contra adversos fortunæ casus nihil ab illa timendum esse persuaderet, quod constantissima sit ejus in constantia. Certè nec melior, nec verisimilior est, quam passim repetunt adversarij, ad formam prudentiæ ac judicij practici veritatem reflexio mentis in probabilitatem, id est, comperta agnitio ejusdem indifferentiæ ad verum et falsum. Et pag. 78. nos ad bonitatem actionis necessariam esse volumus consensionem cum ultimo fine, quem Terillus longissimè abigit contentus sua in opinionem probabilem reflexione, quam veluti quartum subsellium exstruxit, diversum à prudentiæ & fidei Sede. Et pag. 79. illa reflexæ probabilitatis evidentia, quæ ad mores idonea sit regula, à quatuor diebus inventa est totè antiquitati ignota, capitaliter adversa certissimis prudentiæ regulis. Et pag. 80. Cum Terillus vult sola reflexione in motivum opinionis fallibile, judicium certo prudens & absolute

verum

verum concipi, videtur inducere opiniones periculosius inflatas quàm virtutes Stoicorum, quas D. Augustinus hoc nomine donat & damnat, quod in seipsis sisterent, suâ bonitate contenta, ad consequendam felicitatem, cum simile jus donet his opinionibus reflexis, -- à probabilitate reflexa est totum falsitatis & peccati periculum. Ratio est, quia ut homo honestè operetur, debet esse certus, ab operatione sua abesse periculum peccati, ut admittitur à propugnatoribus sententiæ oppositæ; atqui sola reflexio, quæcunque illa sit, non potest reddere hominem certum, tale periculum abesse, si in concursu contradictoriarum sequatur opinionem minus probabilem, stantem pro commodo & libertate, relictâ probabiliore, stante pro lege & honestate, eò quòd reflexio in ipsam formidinem peccati, quæ inest opinioni minus probabili, certò cognoscat illam inesse, nec cognoscendo eam tollat, & consequenter non possit ex reflexis præmissis, dependentibus à formidolosis directis deduci certum & evidens dictamen, ergo, &c.

Si dicas, actum reflexum, qui pro objecto habet directum formidolosum, non indicare esse verum, sed judicare eum existere, & minorem esse notitiam experimentalem, de existentia cognitionis directæ, videlicet: *Ego prudenter judico hæc & nunc predictionem in die festo non esse à Deo prohibitam.* Respondetur, id esse, quod negamus, nempe judicium illud esse prudens, in quod fit dicta reflexio.

Si dicas secundò, actum formidolosum certum esse ac evidentem in ratione objecti existentis, prout affir-

L

matur

matur à præmissa reflexa, quæ est minor formalis; ac proinde formidinem talis actus de veritate sui objecti non posse obstare evidentia conclusionis reflexæ, cum in hanc non influat. Respondetur, hæc gratis dicitur, si enim sola existentia actus directi influat, perinde erit, an fiat reflexio in actum probabilem, vel certò falsum, cum etiam certum esset, hunc existere; non potest ergo dici, quòd à sola existentia actus habeatur certitudo requisita.

Quid P. Celladeus doctus & subtilis Societatis scriptor sentiat de reflexionibus Probabilistarum (quos reflexistas vocat) in lib. suprà citato pag. 712. constat ex sequentibus ejus verbis: *Per omnes istas cogitationes reflexas intellectus ipse sibi non potest persuadere, ut probabilibus notis seu incertis assentiatur tanquam certis, sicut nec fieri, ut dubijs certam det fidem. Pone monetam, quæ tanti & non pluris valeat: an iniquitas non esset apud Deum, qui vel pluris illam accipere suaderet? an dubia aut falsa moneta fiet certa aut vera per cogitationes reflexas? Et rationem dat alibi, quòd veritas cogitationum reflexarum pendeat à veritate directarum, & ipsa ab objectis. Unde alexipharmacum petitum ab his reflexionibus, meritò est suspectum, & servit potius ad obnubilandam quàm muniendam veritatem hæc subtilitas.*

Dum legi modum hunc deducendi judicia practica contradictoria, incidit mihi discursus, quem aliquando legi in Theologia Fundam. Probabilistarum Antesignani Caramuelis; videlicet hic: *Petrus die Sabbathi post mediam noctem, ut primùm audivit duodecimam, comedit*

medit carnes, & postquam satiatus, excessit è mensa, audivit aliud horologium significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult, & sic discurre: horologia habent opinionum probabilium virtutem: at, ego comederam, antequam tale horologium sonuerit; ergo probabile est, quòd comedi ante duodecimam; ergo probabile est, quòd sim jejunus: at opinioni probabili confirmare conscientiam possum; ergo potero communicare, &c. Et ibidem ait: Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur unam, potest licitè sequenti momento tenere oppositam, &c. Sed quòd ex hac doctrina sequatur enervatio & elusio præceptorum ecclesiasticorum, probat Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus, Ludovicus Crespinus à Borgia, in qq. select. qu. 9. ubi & plura deducit absurda. Quidquid sit de his, & dato quòd possit hanc vel illam sequi, saltem taliter operans non posset excusari ab inconstantia, quæ secundùm S. Thomam, loco suprà citato, pertinet ad imprudentiam, estque recessus quidam à bono proposito definito, qui consummatur per defectum rationis.

Neque efficacius est argumentum alterum, quo probatur esse licitum sequi minus probabilem, quod lex de non sequenda minus probabili, &c. in concursu contradictoriarum, non sit sufficienter promulgata, cum innumeri viri in jure naturali, Scriptura & Patribus veritatissimi fateantur, sibi de tali promulgatione non constare &c. Quid sentiat de hoc & præcedente argumento P. Celladius, constat ex sequenti discursu, quem habet pag. 416. de hæretico, cui prædicatur, Ecclesiara nostram esse veram, & extra illam non esse salutem: ac

ipse (inquit) se expedit ab his omnibus, & dicit, nihil necessarium esse veritatem, satisq; esse probabile, & probabiliter Catholicum sufficere in materia Religionis, sicut in materia morum sufficit, non esse probabiliter usurarium. Omnino autem recusat directam de veritate vel falsitate disputationem, aitq;, Doctores suos audivisse fundamenta nostra, nihil tamen fuisse motos: quare legem, si qua est acceptanda nostrae Religionis, non fuisse satis promulgatam. Verum replicas (inquit) Doctores suos non esse prudentes, & Religionem proinde suam ex eorum auctoritate non effici probabilem. At ipse vix non irascitur, & persuasionis loco rixa resultat. Querit deinde, cur & unde nostri in illis ipsis rebus, in quibus sibi contradicunt & falluntur alterutri necessario, sint interea utrique simul prudentes? & qui unum sentit, stare prudenter queat dictis sui adversarij, quem falli credit: excludantur tamen ab hoc privilegio sui Doctores? an quia falluntur? & hoc non, quia in materia morum constat evidenter falli alterutros: & utrique interea simul prudentes esse, & prudenter dicere creduntur. Non autem magis pugnat veritas Religionis cum falsitate Religionis, quam veritas in doctrina morum cum falsitate. Vel veritas necessaria est ad prudentiam? & tunc in alterutra parte illa deficit, tam in doctrina morum quam fidei; vel nihil necessaria est veritas? & tunc querit, cur sui non sint prudentes? &c.

Probat ibidem citatus Author fusiùs, inane esse hoc ex praetensa insufficienti legis promulgatione depromptum argumentum. Quod si subsisteret, possent etiam Ethnici se excusare à Religione christiana acceptanda.

Addit

Addit Celladeus, hoc argumentum suum *uisse etiam Pallavicino visum efficax & concludens*. Restant plura dicenda de legis hujus promulgatione infra.

Authoribus in jure naturali, Scriptura & Patribus versatis ita sentientibus, scilicet legem non esse sufficienter promulgatam, iterum oppono S. Augustinum, S. Thomam, S. Bernardum, Pontifices, Concilia, Theologos antiquos & recentiores supracitados & alios, contrarium asserentes. Non enim est necessarium ad obligationem legis, ut luce meridiana clarius sit, eam esse promulgatam. Quando lex non ignoratur invincibiliter, tunc est sufficienter promulgata. Non igitur ex hoc, quod aliqua argumenta, etiam difficilia & gravia opponantur, statim concludi potest, legem non esse sufficienter promulgatam, aliàs etiam concludi posset, Deum non existere, cum satis difficilia opponantur argumenta, ut patet ex 1. parte qu. 2. S. Thomæ & commentatoribus. Neque viri illi, qui contrarium sentiunt, vitio vertere possunt non consentientibus, cum ipsi non ignorent, antiquos Theologos sensitisse contrarium, & iis contradicant, & ob hoc à nemine argui velint.

Dices, *Viri illi, qui contrarium sentiunt, sunt viri prudentes*. Respondeo, viros illos, qui nobiscum sentiunt, sunt viri sancti atque prudentes, fundati in infallibili Scriptura, Conciliis, &c. & dico cum Celladio: *Hoc est discriminis inter prudentem & prudentiam; inter consultorem & consultationem, quod vir etiam prudens potest aliquando errare, at non per prudentiam: bonus etiam consiliarius potest aliquando deficere, at consultatio ipsa*

non erit bona, in qua erratur. Conformiter ad illud S. Augustini in Enchr. c. 19. *Ipse per semetipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans neget malum esse, approbare falsa pro veris, vel improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?*

Objicies tertio cum acutissimo Caramuele: Quicumque probabilem sequitur opinionem, insuperabiliter veritatem ignorat, & ideo non debet peccare; sed minus probabilis est probabilis; ergo &c. Respondeo negando majorem, & dico cum S. Augustino lib. 14. cont. Faust. c. 9. *Felix cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem.*

Objicies quarto: Si ille, qui sequitur opinionem minus probabilem, contra legem naturalem aut positivam divinam, cui conformis est opinio probabilior, peccet, etiam peccabit sequens probabiliorem, imò probabilissimam, si revera non sit conformis legi naturali &c. Respondeo concedendo totum: quia illa lex non est subjecta opinionibus Doctorum, sed hi debent juxta illam in particulari operabili formare judicium practicum, & operari ex amore ejus. Idem est de positiva promulgata. Non dixit Christus: *Ego sum probabilitas*, sed, *Ego sum veritas*. Hæc ergo affectanda & spectanda est. Unde si Doctores dant consilia contra legem naturalem, & divinam sufficienter propositam, verificatur de illis illud Matth. 15. *Cæci sunt & duces cæcorum; cæcus autem, si cæco ducatum præstet,ambo in foveam cadunt.* Nam per ignorantiam excu-
sati

fari non possunt, cum non sit invincibilis, ut probatum est. Et victa ab illis, qui dant consilia illis conformia. Potest etiam responderi distinguendo: etiam peccabit sequens probabiliorem, contra conscientiam, nego; contra legem, concedo; supposito quod vincibiliter ignoretur, uti in objectione supponitur: quando autem aliquis sequitur minus probabilem contrariam legi vincibiliter ignoratae, peccat contra conscientiam & contra legem, ut supra dictum est.

Dices: ex hoc, quod Christus dixerit, *Ego sum veritas*, & non, *ego sum probabilitas*, non plus potest concludi, quam si dixisset, *ego sum ostium*, & ex hoc inferretur, ergo non licet intrare per fenestram.

Contra: Sicut dum Christus Joan. 10. dicit: *Ego sum ostium*, non vult, ut aliunde intretur per fenestram in ovile: ita dum dicit: *Ego sum veritas*, vult, ut in rebus ad salutem pertinentibus, signanter in materia juris naturalis & divini sufficienter promulgati inquiramus & sequamur veritatem in quantum possumus, ac proinde in concursu sequamur probabiliorem sententiam, *Ego sum via*, sed time, ne erres: adjecit, & *veritas*. Quis errat in veritate? errat, qui recedit à veritate. S. August. in psal. 66. Qui autem sequitur sententiam, quam judicat probabilius esse contra veritatem, recedit à veritate, ergo.

Dices secundò: *Vagæ probabilitatis defensores suam doctrinam ad regulam Scripturae & Ecclesiae examinare, ac proinde non posse numerari inter duces cecos*. Respondeo, me neminem specificasse, sed dixi: *Si dent consilia contra legem sufficienter promulgatam; saltem illi,*

quorum propositiones sunt à Pontificibus damnatæ, non examinarunt sufficienter doctrinam suam ad talem regulam; & ego, salvâ reverentiâ debitâ, contrarium sentientibus existimo, illos, qui asserunt licitum esse sequi minus probabilem, &c. tam in concursu, & signanter materia juris naturalis &c. non satis examinasse hanc suam doctrinam ad memoratam regulam; sed opposita doctrina examinata est ad talem regulam, ut patet ex locis S. Scripturæ, S. Canonibus, Sanctorumq; Patrum testimoniis supra adductis; contra quæ non prævalebunt ullæ reflexiones, ex quibus adversarii frustra conantur deducere judicia evidentia practica, & promittunt conscientiæ securitatem. Sed nihil valet securitas procuratoris, utinam tibi Dominus securitatem daret &c. ! Sancti non agnoverunt securitatem fundatam in judiciis deductis ex reflexis & reflexo reflexis terminatis ad propositiones incertas, sed solliciti, ne in materia juris ex ignorantia peccarent, sæpè dixerunt cum Apostolo: *Nihil mihi quidem conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* Sæpè cum Propheta: *Ab occultis meis munda me &c. Delicta juventutis & ignorantia mea ne memineris.* Quàm sollicitus fuerit S. Augustinus, ne in officio erraret, ne esset dux cæcus ob ignorantiam aliquam, patet ex epist. 250. *Quis, inquit, vindicandi modus non solum pro qualitate, vel quantitate culparum, verùm etiam pro quibusdam viribus animorum. Quàm profundum & latebrosum est. Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare, quando, quomodo custodiam id, quod scriptum est: Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Quis in his omnibus timor, mi Pauline sancte, homo Dei, quis tremor, qua tenebra,*

non-

nonne putamus de his esse dictum, *timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebrae.* S. Gregorius lib. 5. mor. c. 6. ait: *Sancti viri, cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.* Sciunt enim quia corruptionis pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt, & cum ante oculos extremi examini regulam deducunt, haec ipsa in se nonnunquam, & quae approbant, metuunt, & tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine eorum trepidi, quo gradientur ignorant. Nec ipsi viri docti & pii qui contrariam sententiam defendunt, cujuscunque sint ordinis aut status, negabunt, orandum esse frequenter, ut à Deo detur agnoscere, quid deliquerant adversus decalogi praecepta, & promittere emendationem. Talem orationem S. Ignatius in exercitiorum libro, cujus cum doctrina Augustiniana harmoniam fusè probat P. Franciscus Macedo Minorita, suis praescripsit, & omnibus necessaria est.

Instabis: Sententiae minus probabiles sunt quaedam benigniores legum interpretationes, quae verò stant pro legibus, sunt interpretationes nimis duræ. Respondeo cum S. P. Augustino l. 3. contra Acad. c. 7. *Clamat Zeno, tota quæ illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil esse aliud, quam ad honestatem; ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, & quasi lenocinante mercede.* In psal. 44. *Directionis virga est, quae dirigit homines. Curvi erant, distorti erant, sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant, non voluntatem suam Deo subdebant, sed volun-*

ratem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant --- & ad hoc propemodum sedent quotidie homines, ut disputent contra Deum. Dei voluntas aequalis est, tua curva est. Propterea tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam, tene illam: nam si illam velis curvare ad te, quia non potes, frustra conaris, illa semper directa est. Et in ps. 48. Hæc est in hominibus magna & usitata perversitas, quæ, cum debeant ipsi vivere secundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundum voluntatem suam: & cum ipsi nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantur, quod ille vult; sed quod ipsi volunt. Et lib. de Catechizand. rudib. c. 25. Tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus, non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius voluntatem judicaberis. Et serm. 1. de verb. Dom. c. 3. Queramus istum adversarium, cui debeamus consentire --- queramus illum, & consentiamus illi. Si peccas, adversarius tuus est sermo Dei: verbi causâ, forsitan delectat te inebriari. Dicit tibi: Noli. Delectat te spectare, & nugari: Ille dicit tibi: Noli. Delectat te adulterari: Dicit tibi sermo Dei: Noli. In quibuscunque peccatis volueris voluntatem tuam, dicit tibi: Noli. Adversarius est voluntatis tuæ, donec fiat auctor salutis tuæ. O quam bonus adversarius! quam utilis adversarius! non querit nostram voluntatem, sed utilitatem. Adversarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei. Esto tibi amicus, & concordas cum ipso. Non homicidium facies, audi & concordasti. Non mox haberis, audi & concordasti. Non falsum testimonium dicas, audi & concordasti. Non concupiscas uxorem

rem proximi tui, audi & concordasti. Non concupiscas rem proximi tui, audi & concordasti. In his omnibus cum tuo adversario concordasti. Dic mihi, quid perdidisti? Non solum nihil perdidisti, sed te ipsum, qui perieras, invenisti. *Via, vita ista est.*

Objicies quintò: Si homo teneatur semper eligere id, quod est tutius, peccant, qui eligunt statum Matrimonii, relicto Religioso; sed hoc non est dicendum, ergo nec illud. Major probatur, quia status Religiosus est tutior Matrimoniali.

Confirmatur: Si teneamur eligere, quod tutius est, dubitans an aliqua res, quam possidet, sit sua, debet alteri eam dare, vel cum illo dividere, probatur sequela, quia hoc est tutius.

Respondeo negando majorem. Et ad probationem dico, statum Religiosum esse tutiorem, si *li tutior* accipiatur grammaticè sive comparativè. Quando autem dicitur tutius esse eligendum in rebus ad salutem pertinentibus, accipitur tutius adversativè, prout opponitur illi, quod est malum, quo sensu sequens minus probabilem, relicta probabiliore non eligit, quod est tutum, cum utraque non sit tuta sed minus probabilis peccati, & falsitatis sit periculo obnoxia, ac proinde imprudenter agit. Uterque autem status tutus, & bonus est. Ad confirmationem dico, me non asseruisse, quod teneamur semper eligere, id quod grammaticaliter loquendo est tutius, sed quod in concursu opinionis minus probabilis & probabilioris stantis pro lege debeamus. Sequi hanc, quia hæc est tutior Theologicè, id est tuta, sive quia nec est obnoxia periculo peccandi

candi contra conscientiam, nec contra legem (si invincibiliter ignorari possit, eò quod sequens ad invenientiam veritatem diligentiam, quam potuit, adhibuerit) illa verò non sit talis. Dubitans autem, an sit res sua, non judicat, ut suppono, probabilius esse, quod non sit sua.

Instabis. Tutius est non admittere plura beneficia, si unum sufficiat ad sustentationem, accipiendo tutius, etiam adversativè, & tamen contrarium practicatur, idque sine peccato; ergo.

Respondeo cum S. I. homa quodlib. nono art. 15. *Etsi habere plures præbendas secundum se contineat aliquas inordinationes, posse tamen ob supervenientes circumstantias istam deformitatem tolli, & non esse peccatum, habere plures præbendas, ijs autem deficientibus non posse.*

Objicies sextò: Plures Pontifices in dispensando secuti fuerunt sententias minus probabiles, relictis probabilioribus, & tutioribus, sive stantibus pro lege; Sed hi non peccaverunt taliter dispensando, ergo licitum est sequi minus probabilem.

Respondeo. Suppositâ veritate majoris, quæ non probatur, negando minorem. Pontifices enim impeccabiles non sunt, nobis autem non eorum facta in omnibus, sed verba observanda sunt; Dicunt autem Pontifices cum S. Augustino, in rebus ad salutem pertinentibus, tutius esse eligendum, id est, remotum à peccandi periculo.

Objicies septimò: Qui sequitur sententiam minus probabilem quidem, sed certò probabilem, in

con-

conflictu probabilioris aut tutioris, ille saltem est moraliter certus, quod sua actio non sit mala; ergo non peccat.

Respondeo negando antecedens; quia talis existimat verosimilius esse, quod actio sua sit mala, & consequenter habet dubium practicum; qui autem sequitur probabiliorem & tutiorem, ille moraliter certus est, quod sua actio non sit mala, si quam potuit, diligentiam adhibuerit, ad inveniendam veritatem.

Objicies octavo: Ideò summi Pontifices damnaverunt quasdam propositiones, quibus asserbatur, licitum esse sequi opinionem minus probabilem, relictâ tutiore; quia agebatur in iis de periculo damni, quod ex earum praxi posset aliis creati, ut patet ex prima, secunda, & quarta ab Innocentio XI. damnata. Si enim invalidè administraretur Sacramentum, aut malè iudicetur, id cedit in præjudicium aliorum; ergo quando abest periculum damni, possumus licitè sequi minus probabilem, relictâ tutiore & probabiliore.

Respondeo negando suppositum, quia in concursu minus probabilis stantis contra legem & probabilioris stantis pro lege non abest periculum damni, quia est periculum, ne offendatur Deus, & pereat anima, quod est periculum gravioris damni, quam periculum patiendi jacturam aliquot florenorum, si malè iudicetur.)

Dices. Consilium virorum Doctorum, piorum, & gravium facit cessare tale periculum, signanter, si nitantur ratione magni ponderis.

Respondeo negando assumptum: sicut enim medicus

dicus habens ad manum duas medicinas, quarum unam judicat probabilius lethiferam, non potest facere per judicium suum probabile erroneum, quo judicat non esse lethiferam, ut fiat sana; neque licite potest eam propinare aegroti, neque qui judicat, aquam rosaceam esse materiam sufficientem baptismi, per judicium suum, ut sufficiat, si Christus aliter ordinaverit: neque ut falsa moneta fiat vera, ut loquitur Celladeus; ita quoque viri docti illi non possunt facere per consilium suum probabile, ut id, quod revera est contra legem naturalem, & divinam sufficienter propositam, non sit contra eam; Neque possunt in concursu probabilioris tutioris licite suadere, ut consalens sequatur eam opinionem, quam verisimilius judicant esse falsam & non tutam.

Instabis: Si non possimus tuto sequi sententiam piorum & eruditorum Doctorum, nemo poterit tuto conscientiam suam credere uni confessario, & ejus consilium sequi, sed hoc dici nequit; ergo possimus tuto sequi.

Respondeo distinguendo majorem: Nemo poterit tuto conscientiam credere uni confessario, si sciat talem confessarium in praxi habere pro regulam, quod unusquisque possit eligere minus probabilem, etsi verosimilius judicet esse falsam & sequentem exponi periculo peccandi, concedo; Nemo poterit credere conscientiam confessario sentienti in concursu minus probabilis & probabilioris atque tutioris praefere dam esse semper probabiliorem &c. nego sequelam majoris. Et similiter distinctam minore, nego consequentiam.

In-

Instat Opponens : Hic est funis ex aranearum telie consutus quo à confessionalibus nostris abstrahantur penitentes ad Iansenistas.

Respondeo cum S. Augustino lib. de unico bapt. c. 6. illum qui sine ullo teste , ac sine ullo documento crimen obicit, maledicum potius convitiatorem, quam veridicum accusatorem existere, & lib. 3. cont. Petil. c. 1. Si ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledicti essemus, ut ij qui nos legerent, alij nos detestandos abjicerent sana gravitate, alij suaviter haurirent malevola voluptate.

Repeto supra etiam citata verba S. Thomæ quodlib. 3. art. 10. Quod diversa opiniones Doctorum S. Scriptura, si quidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absq; periculo auditores utramque sequi possunt. Tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Rom. 14. unusquisque in suo sensu abundat : In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri : in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrij, Nestorij, & aliorum Hæsiarcharum : nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. In rebus enim dubijs non est de facili præstandus assensus, quinimò ut Augustinus dicit in lib. 3. de Doct. Christ. consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ autoritate percepit.

Notum est, prò dolor ! quales interdum, & quam oculati sedeant in his sacris tribunalibus judices, utpotè
nec

nec in Theologia speculativa, nec practica, nec in sacris Canonibus versati, & securè sine scrupulo, sine examine & admonitione &c. quoslibet absolventes. Scio etiam sedere multos viros pios & doctos, ex omni ordine & statu Ecclesiastico. Licet enim aliqui sententiam de tuto sequenda opinione minus probabili generaliter propugnent, non tamen omnes ita eam in dirigendis tam propriis, quam alienis conscientiis pro regula habent, ut in particularibus operabilibus & materiis, doceant, practicent, suadeantque semper ea, quæ ipsas videntur minus probabilia, satis enim observo in libris eorum (quos frequenter & libenter lego) quod, dum tractant in particularibus materiis de rebus ad salutem animæ spectantibus, adhæreant sententiis, quas judicant esse tutiores & probabiliores, relictis minus probabilibus. Sed hoc quoque observo, quod generaliter docendo in concursu contradictoriarum esse licitum sequi minus probabilem &c. eo ipso etiam implicite doceant, posse etiam licite adhæreri iis, quas in particularibus materiis impugnant, & tanquam minus probabiles rejiciunt. In quo eos in docendo non sequor. Dico in docendo, quia, si de praxi quærat, respondeo me hominem peccatorem esse, & offendere in multis.

Exclamet, inquit S. Augustinus in psal. 118. conc. 2.
Sancta familia Christi fructificans & crescens in universo mundo, humiliter verax, & veraciter humilis; exclamet inquam: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Hypocrita, si deus te habere, cum credas te non habere peccatum,
 foris

*faris fingis humilitatem, intus amplecteris vanitatem; ergo
& in ore & in corde non habes veritatem.*

Objicies nondò: Si ille peccet, qui secutus sententiam probabilem, probabiliorem, aut probabilissimam, agit, aut suadet aliquid contra legem naturalem &c. necessarium erit ad vitandum peccatum, ut operans sciat, sententiam, quam sequitur, esse conformem legi; hoc autem non potest dici; ergo sequens probabilem, probabiliorem &c. excusatur à peccato. Respondeo negando sequelam. Sufficit enim, quòd aliquis verisimiliter judicet, ita esse operandum, aut consulendum alicui, & revera à parte rei lex ita jubeat. Quòd si autem sine ulla etiam formidine judicet, agatque, & lex sufficienter promulgata à parte rei contrarium jubeat, non peccat quidem contra conscientiam, sed contra legem. Si judicet ita esse operandum, & non operetur, & lex ita jubeat esse operandum, peccat contra legem, & contra conscientiam secundum S. Thomam supra. Si judicet, se nò posse sine peccato relinquere eam opinionem, quæ revera falsa est, & contra legem naturalem, non excusabitur à toto, sive hanc, sive oppositam sequatur. Si enim sequatur falsam, peccat contra legem; si oppositam, peccat contra conscientiam, estque voluntariè perplexus, cum falsæ voluntariè adhæreat.

Adde, etiam supposito, quòd possit dari interdum ignorantia invincibilis legis naturalis (quod aliqui vagæ probabilitatis impugnatores admittunt) in concursu tamen contradictoriarum non esse licitum sequi minus probabilem, &c. quia, ut supra sæpius etiam dictum est, eam sequens non posset excusari per ignorantiam;

M

rantiam;

rantiam; qui enim sequitur deliberatè minus probabilem, stantem pro commodo & libertate, non potest dici fecisse totum, quod in se est, ad inquirendam veritatem; sicut potest dici fecisse ille, qui sequitur probabiliorè & tutiorè, si supponatur, legem naturalem posse interdum invincibiliter ignorari, vestitam aliqua circumstantia vel conditione &c. ac proinde prior non potest obtendere ignorantiam.

Objicies decimò: Juxta hanc Regulam (Melior est conditio possidentis) à pluribus annis in Scholis receptam, debet homo manuteneri in possessione suæ libertatis. Contra, Debet manuteneri lex naturalis &c. contra hanc regulam malè extensam ad dubia juris naturalis &c. Aperit enim illa viam innumeris perniciosis dogmatibus, ut patet ex propositionibus à Pontificibus jam proscriptis. In dubiis juris naturalis & divini satis promulgati, possessio semper stat pro lege; & hinc observanda est hæc regula: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Et monitum S. Augustini lib. de morib. Eccles. c. 7. *Quod quàm sit Deo dignum, inquit, quàm id, quod queritur, verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis & proximis incipientes, vera Religionis fide, præceptisq; servatis, non deseramus viam, quam nobis Deus, & Patriarcharum segregatione, & legis vinculo, & Prophetarum præfagio, & suscepti hominis sacramento, & Apostolorum testimonio, & Martyrum sanguine munivit, --- audiamus oracula, nostrasq; ratiunculas divinis submittamus affatibus.*

Instabis: Homines sunt in possessione dictæ regulæ, etiam in materia juris naturalis & positivi Dei. Respond,

spond. distinguendo assumptum: sunt in possessione pacifica, nego: in possessione à plurimis doctissimis viris ab initio oppugnata, transeat. Adde, non posse dici, illum esse in possessione pacifica libertatis, qui practicè dubitat, & iudicat probabilius, actionem, aut omissionem esse malam. Tale autem est iudicium sequentis minus probabilem, relictâ probabiliore & tutiore; ergo non est in possessione libertatis, neque possessionem fundare potest per talem praxim, cum hæc repugnet legi naturali, dictanti, operandum esse secundum probabiliorem & tutiorem. Etiam supposito, quòd jus possit invincibiliter ignorari.

Objicies undecimò: Ipse S. Augustinus agnoscit, quòd licitum sit, sequi opinionem probabilem. Probatum assumptum: quia Epist. 19. ad Hieronymum ait: *Alios sic lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per Auctores Canonicos, vel probabili ratione, qua à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

Respondeo distinguendo assumptum: S. Augustinus agnoscit, quòd sit licitum sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore & tutiore: nego; Quòd sit licitum sequi opinionem probabilem, dum urget necessitas, & non potest major notitia acquiri, nullaque occurrit ratio contraria dubitandi, potestq; lex invincibiliter ignorari, concedo. Adde, Probabile à Scriptura & S. Augustino, aliisq; Patribus interdum aliter sumi, ut supra notatum est.

Objicies duodecimò: Si in materia juris naturalis,

& divini sufficienter promulgati eligenda sit semper opinio probabilior, &c. ita, ut nec per ignorantiam, nec per probabilitatem ullus excusetur, si reipsa agat contra legem, implicabitur continuis scrupulis conscientia hominis Christiani, quia semper erit anxius, ne operetur contra legem, & remedium non inveniet ad scrupulos depellendos; ergo hæc sententia non est tenenda.

Respondeo negando antecedens; & dico, hanc doctrinam potius servire ad eximendos scrupulos, præsertim si homo Christianus in dubiis Dei operam imploret. *Anima enim, ut S. Augustinus testatur lib. 3. de lib. arbit. c. 20. accepit naturale iudicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat. Et ibidem ait: Anima omnis, & querendum esse concedit, quod inutiliter nescit, & perseveranter in officiosis laboribus enitendum, ad vincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à Creatore implorandam, ut conantem adjuvet, qui vel extrinsecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit.*

Cum sanctissimo Patre orandum est frequenter: *Mitte radium sapientiae tue, ut expellat tenebras meas, fulgeat in nobis imago tua, cognoscamus & nos imaginem tuam. In psal. 66.*

Deus, qui nisi mundos verum scire voluisti,

luisi, Deus Pater veritatis, Pater sapientiae,
 Pater verae, summaeque vitae, Pater beati-
 tudinis, Pater boni & pulchri, Pater intel-
 ligibilis lucis, Pater evigilationis atque illu-
 minationis nostrae, te invoco, Deus verita-
 tis, in quo, & à quo, & per quem vera sunt,
 quae vera sunt, omnia, Deus intelligibilis
 lux, in quo & à quo lucent, quae intelligibili-
 ter lucent, omnia. Deus, qui nos purgas, &
 ad divina preparas praemia, adveni mihi
 propitius tu. L. 1. Soliloq. c. 1.

Exaudi me palpitantem in his tenebris,
 & mihi dexteram porrige. Præstende mihi
 lumen tuum, revoça me ab erroribus, ut te
 duce in me redeam & in te. L. 2. Solil. c. 6.

Deus misericordiarum, adjuva intuen-
 tes, & verum quærentibus interius lumen
 accende. L. 1. cont. Epist. Fund.

Fac me cum simplicitate esse prudentem,
 ut beatam vitam sinceriter agam, & ma-
 lum prudenter fugiam, atque fraudulentiam,

Et deceptoriam astutiam diaboli intelligere
 valeam, ne me per speciem boni fallat ratio,
 Et ne ab aliquo decipiar, nec aliquem deci-
 piam, Et discernere rationabiliter valeam,
 Et providere, quid boni agam, vel quid
 mali refugiam. L. de salutar. docum.
 c. 65.

Fac me in sancto conversari proposito,
 sequi justitiam, amare veritatem, refutare
 mendacium, falsum nihil meditari, vel loqui.
 Ibid.

Et cum S. Thoma: Creator ineffabilis,
 qui verus fons luminis, Et sapientiae diceris,
 infunde super intellectus mei tenebras radium
 tuae claritatis, duplicem à me remo-uens pri-
 vationem, Et tenebras, peccatum scilicet Et
 ignorantiam. Da mihi intelligendi acumen,
 retinendi capacitatem, interpretandi subtili-
 tatem.

Si itaque ad hæc enitatur homo Christianus, si o-
 ret, si viros doctos, dum dubitat de veritate, consulat;
 si diligentiam adhibeat; si pio & prudenti Confessario,
 &

& superiori reverenter se committat; si eam sententiam amplectatur, quam verosimiliorem, & remotiorem à peccato existimat, cum detestatione omnis peccati ex simplici corde, & sincero legis atque legislatoris amore, excutientur scrupuli, & animus pacabitur.

Dices: Adhuc his non obstantibus timebit, ne opus Deo displiceat.

Respondeo, istum timorem esse castum, & per eum non turbari conscientiam, sed per charitatem foràs mitti.

In concursu autem duarum contradictoriarum, quarum utraque est tuta, sive remota à periculo peccati, non solum possunt, sed etiam interdum debent scrupulosi illi, qui trepidant timore, ubi non est timor, eligere tutam, relictâ tutiore, omissis inanibus super actus suos, & præteritas confessiones reflexionibus. In concursu autem contradictoriarum opinionum, quarum una est minus probabilis, utraque non est tuta, cum minus probabilis non sit tuta, etsi lex invincibiliter possit ignorari.

Petes, quid ergo faciendum, quando neutra sententia apparet tuta?

Respondeo, eligendam esse eam, quæ omnibus consideratis, remotior videtur à peccato.

Dices: Taliter operans non erit certus, quòd operatio ipsius placeat Deo. Distinguo assumptum: Non erit certus certitudine physicâ aut metaphysicâ; concedo, morali, nego. *Nemo scit, an odio vel amore dignus sit*, & clamandum ad Deum est frequenter:

*Ab occultis munda me, delicta juventutis & ignorantia
mea ne memineris.*

Objicies decimo-tertiò : Qui sequitur sententiam probabilem stantem contra legem humanam, etiam ecclesiasticam, non peccat; ergo etiam non peccat, qui sequitur probabilem, relicta eâ, quæ favet legi naturali & divinæ. Antecedens probatur: quia respectu legis humanæ & præceptorum Ecclesiæ valet axioma: *Melior est conditio possidentis libertatem naturalem & Christianam*; quarum illa exigît, ut homo homini non subjiciatur, nisi fiat propter Deum, aut manifestam boni communis utilitatem (qualis non reperitur in concursu sententiarum probabilium oppositarum, quibus lex humana obscura redditur) hæc verò, id est libertas Christiana, exigît, ut homo paucissimis oneretur obligationibus, supra legem naturalem & divinam. Quando igitur in illis, quæ dependent à mutabili hominis voluntate, aliquis sequitur sententiam probabilem, neque contra conscientiam peccat, neque contra legem: non contra hanc, quia non præsumitur obligare; non contra illam, quia judicat sic esse licitum.

Respondeo, à pluribus viris doctis sustinentibus, non licere sequi opinionem minus probabilem, &c. quando agitur de lege naturali & divina, fieri exceptionem, quando agitur de lege humana & præceptis Ecclesiæ; quia aliqui excusant sequentes minus probabilem, in hujusmodi concursu, à toto; & ideo ob adductas rationes, concessio antecedente, negant consequentiam, eò quòd lex divina non sub-
jici-

ficiatur libertati hominis, neque ab hac adversus Deum detur securitas, juxta illud S. Augustini hom. 11. c. 5. *Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intentè diligenterq, audiamus, & promissa fideliter expectemus?* & horum exceptionem rationabilem judicat citatus Gradius, cap. 31. asseritque conducere eam, ad occurrendum querelis quorundam Hæreticorum, præceptorum Ecclesiæ sub peccato mortali obligantium severitatem & multitudinem perstringentium, & objicientium illaqueari animas; statum gratiæ, cujus beneficio in adoptionem filiorum Dei vocati sumus, & libertatem, passione & morte Domini nostri nobis quæsitam, reddi graviolem Moisaicæ legis jugo, & antiqui servitii compedibus. Alii generaliter negant sine ulla exceptione sequentes minùs probabilem excusari à toto.

Dices: Melius occurri hujusmodi hæreticorum querelis, & disciplinæ rigori, si sine distinctione legum statuatur, in concursu contrariarum opinionum, licitum esse sequi minus probabilem, relicta probabiliore & tutiore, saltem ubi non obstat Ecclesiæ prohibitio. Respondeo negando assumptum, & addo verba Doctissimi Gradii Capite citato, Honorato Fabri optanti, ut rigidioris sapientiæ propugnatores per decem, aut quindecim annos in Basilica Principis Apostolorum confessionibus excipiendis sedulam operam navassent &c. respondentis: *Providendum est, vir optimè, nè remedium, quod adhibetis, sit ipso malo, cui obviam itis, nocentius: nè valeat ad everteendam disciplinam; nè pro libertate moderata licentiam effrenatam in mores nostros*

inducat --- vos jure, quod dixi, probabilitatū, à vobis privatim condito, & ante vos auctores (de Probabilistis in genere loquor) in foro & in judicijs inaudito, in ipsam omnis juris & omnium legem arcem invaditis, dum transgressoribus earum non impunitatis modo, sed etiam innocentie beneficium multis in casibus impertitis, unde periculum est, nè (frustra vobis, ceterisq; pjs ac timoratis pro disciplina incolumitate nitentibus) sua sponte, & humana sortis in deteriora prona vitio, asylum quoddam omnis licentiae aperiat, ex cuius turba, omnis generis mortalium accursu collecta, non Roma, ut olim, non Hierusalem, sancta & dilecta Civitates, sed Babylon aliqua confusione existat. Adeo namque late patere vulgo persuasum est, novam hanc de opinionum probabilitate Philosophiam: tantam inde extare sententiarum quacunque de re proposita diversa statuentium multitudinem, scriptorumq; omnis generis varietatem, & copiam, ut ea freti passim homines ad agenda, quacunque ad manum veniunt, prosilire non dubitent, certa cum spe, constituram haud dubie factis, dictisq; suis, ut cumque susceptis rationem, nec de futurum telum ex instructissimo probabilitatum armamentario promendum, quo se, animaq; sua salutem à legum, praeceptorumq; laqueis expediant. Quo fit, ut ordine inverso, non consilia factis, sed facta consilijs praevertamus, nec nos ad rationem componere, sed nobis rationem accommodare studeamus, postquam illam ex haecenus firma, solidoq; adamante perfecta, probabilem, versatilem, ductilem, & argillā, cerāq; molliorem, una probabilitas effecisset. Cui certè vitio non adeo facile pateret aditus, si tam vilis non esset annoza bonae mentis, & honestatis, & officij.

Ob-

Objicies decimo-quarto : In concursu harum sententiarum contrariarum : *valet baptismus, si infans baptizetur in digito tantum existente, & non valet talis baptismus.* Minus probabilis est, quod valeat sic collatus; & tamen possumus eam non solum sequi, sed etiam debemus, relictâ oppositâ : ergo licitum est sequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliore & tutiore.

Respondeo probabiliorem esse & tutiorem sententiam asserentem, quod talis infans sit baptizandus, quia præceptum charitatis id exigit in tali casu; esto speculative sit probabilius non valere.

Objicies decimo quinto : Minus probabilis est opinio asserens, non valere hanc formam consecrationis : *Hic est calix sanguinis mei*, omissis sequentibus verbis; & tamen juxta hanc possumus licite operari; imò debemus, relictâ eâ, quæ asserit, valere formam istam sine aliis verbis : ergo licitum est sequi minus probabilem relictâ probabiliore &c.

Respondeo antecedens à multis Doctoribus negari; sed quidquid sit de hoc. Ecclesia latina prudenter præcepit ad omne dubium tollendum, ne verba sequentia omittantur. De his fusè agit Contenson Dissert. 2. c. 2. q. 3. de forma Euch.

Objicies decimo sexto : Dum superior præcipit Religioso actionem aliquam, juxta sententiam, quæ Religioso, spectatâ ratione, videtur minus probabilis, potest, imò debet ei obedire : ergo licitum est sequi minus probabilem, relictâ probabiliore & tutiore. Respondeo negando consequentiam : quia in istis cir-

CUM-

cumstantiis opposita sententia, quæ spectatâ ratione, Religioso videbatur probabilior, practicè respectu illius non est probabilior & tutior, ob accedentem auctoritatem superioris, qui præsumitur tantum honesta præcipere, & periculum inobedientiæ.

Instabis S. Augustinus docet l. 22. c. 75. cont. Faust. quando certum non est, bellum esse contra Dei præceptum, posse virum justum bellare: ergo licitum est in concursu opinionum sequi minùs probabilem &c. Respondeo negando consequentiam Non sequitur ex dictis, sed S. P. tantum excusat virum, quia incertus obedit Regi suo.

Objicies decimo-septimò: Sedes Apostolica hanc sententiam, *licitum est sequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore & tutiore*, nondum damnavit, ergo licitum est sequi in concursu contrariarum opinionum minùs probabilem. Respondeo negando consequentiam: quia non omnes sententias, quas Ecclesia tolerat, approbat, ut patet ex opinionibus jam à Pontificibus proscriptis, & ex præfatione decreti Innocentii XI. in qua dicitur: *non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunq; parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.* Et inter has forte est ipsa, de qua controversitur, quæ præcipuè radix est damnatarum: ad quam radicem funditus excindendam inclinatus fuit Alexander VII. ut refert sæpè laudatus Gradus Cap. 37. ubi ait: *Hæc orta censura est (ut ego propter fidelem illius temporis notitiam, neq; enim obscurares erat, compertum habeo,) ex*

acri

acri indignatione Alexandri Pontificis adversus absurdas quasdam opiniones suscepta : coeperatq; impetum egregius honoris Dei zelator , gravia omninò , ac severa de hac re tota statuendi , & malum , ut agebat , in suo fonte , ac radice funditus excindendi (advertat Lector, quæ judicio Alexandri fuerit RADIX damnatarum opinionum, & ad quam excindendam securim applicare intendere) diserta edita constitutione, ex qua finium hujusmodi regundorum leges , & actiones facile peterentur : nec verò quidquam propius fuit, quàm ut id faceret, fecissetq; sine dubio , nisi intervenisset ejus consilio Pallavicinus Cardinalis, cui accuratiorem deliberationem desiderare visa res est, quàm ut celeriter, quod apparebat futurum, explicari posset, ac multò fortè consultius, si dilatà tantisper pleniore censura ipsa in presentia opiniones nominatim configerentur , ut factum est. Nam scandalosa non absolutè --- sed ut minimum scandalosa judicata sunt , adjecta q; præfatio, quæ licet sub involucro verborum, verè manifestum facit decernentis animum ab hac philosophandi de moribus ratione alienum, quod propterea --- appellavit modum opinandi contrarium simplicitati Evangelicæ & sanctorum Patrum doctrinæ , & Regulam ad ordinandos fidelium mores minimè idoneam , quibus verbis cui dubium est , quin ex duabus sectis liberior & laxior designata sit.

Ex quibus liquet , Alexandrum VII. zelosissimum Pontificem favisse sententiæ, de non sequenda opinione minùs probabili in concursu probabilioris & tutioris , & paratum fuisse ad controversiam dirimendam, diserta edita constitutione. Et quod Innocentius XI. quoque

quoque faverit, notum est ex opinionibus damnatis. Erant enim rivi derivati ex hoc fonte, quod licitum sit sequi quamcunque probabilem &c.

Dices: *Probabilistica sententia de tuto sequenda minus probabilis &c. per nullam potentiam ab Ecclesia, seu summo Pontifice damnari potest, nisi forte indirectè, declarando, legem à Deo latam esse, de sequenda semper sententia probabiliori & tutiore, estq; tam certa, ut opposita sit improbabilis; imò apertè falsa, quod sic DEMONSTRATUR: Si certum est in dubio juris, licere sequi sententiam quamcunq; strictè probabilem, tunc improbabilis, imò apertè falsa est opposita id negans: atqui hoc certum est, ergo &c. Major est evidens. Minor DEMONSTRATUR: quia ex innumerorum prestantissimorum virorum doctrina evidens est, non constare sufficienter de tali lege prohibente &c. ergo & evidenter certum est, licere sequi sententiam quamcunque strictè practicè probabilem &c.*

Contra primò: Si possit à Pontifice declarari, esse à Deo latam legem de sequenda semper sententia probabiliori & tutiore, cur non posset directè damnare hanc sententiam probabilisticam: *licitum est sequi minus probabilem in concursu probabilioris, & tutioris &c.* Quid se posse judicaverit Alexander VII. constat ex allegatis verbis, & quid re ipsa fecisset, nisi Pallavicinus intervenisset, perpensis sine dubio fundamentis, quæ adduci solent. In materia enim morum è tota serie *probabilium opinionum*, inquit egregius quidam propugnator nostræ sententiæ, nulla est, quæ propius accedat ad certas fidei regulas, cui impensius faverint, quam apertius

&

& frequentius commendaverint Summi Pontifices; ea, quæ ex infinitis propè locis, ut juris canonici dignitas indubitata circumfertur: in dubiis partem tutiorem esse eligendam; Certè ea Pontificum sententia, ut Seneca verbis utar, apertior est, quam ut interpretanda, disertior, quam ut ad juvanda sit. Nam millies interrogati de rebus dubijs hinc & inde probabilibus --- responderunt constantissimè, tutiorem partem eligendam, id est, quæ pro lege, pro honesto staret contra libertatem &c.

Contra secundò: Qui dubitat, an lex de sequenda semper probabiliore & tutiore sit à Deo lata, illi sufficienter est lex Dei promulgata, ut in rebus ad salutem animæ spectantibus teneatur se illi conformare in operando; sed DEMONSTRATOR dubitat, an talis lex à Deo sit lata, de sequenda semper probabiliore &c. ergo. Maior constat ex dictis §. 3. quia, qui dubitat de existentia legis, & sequitur sententiam minus probabilem stantem contra legem, dubitat de honestate suæ operationis, & vincibiliter ignorat legem, sed tali lex Dei est sufficienter promulgata, ut teneatur in operando se illi conformare ergo. Minor etiam probatur: quia ille dubitat, an lex à Deo sit lata de sequenda semper probabiliore & tutiore, qui iudicat forte posse ab Ecclesia, seu Pontifice declarari, legem talem à Deo esse latam, & alibi dicit: *Si forte sit lata*, sed demonstrator iudicat forte posse sic declarari; ergo. Minor constat ex verbis ejus citatis. Major etiam patet: quia si ipsi evidens sit, vel immediatè, vel per iudicium scientificum ex præmissis evidentibus deductum juxta regulas dialecticæ non esse latam, evidens quoque

quoque est, tali iudicio non posse subesse falsum, ac proinde non potest iudicare, *forte* posse declarari ab Ecclesia aut S. Pontifice, legem talem esse à Deo latam, nisi velit, quod Pontifex possit erroneè declarare, esse à Deo latam legem, & ab omnibus observandam, quæ lata non est; ergo ille dubitat an sit lata, & jure merito, cum perpensis sine passione argumentis sententiæ, de sequenda probabiliore in concursu &c. non solum habeat motivum dubitandi, sed etiam exclusam omni dubitatione iudicandi, esse latam legem de sequenda in concursu sententia probabiliore & tutiore, relicta opposita; ut satis ex dictis in præced. §§. constat, & constabit ex dicendis.

Contra tertio: Retorqueo argumentum: si certum est in dubio juris, quando est concursus opinionum contradictoriarum, tenendum esse sententiam probabiliorem, tunc improbabilis, imò apertè falsa est sententia opposita id negans; atqui hoc certum est, ergo, Major est evidens. Minor DEMONSTRATUR; quia ex sacra Scriptura, Sanctorum, Augustini, Thomæ, Bernardi, summorum Pontificum, Eminentissimorum Cardinalium, & aliorum innumerorum, antiquorum & recentiorum doctrina, & solidis rationibus adductis & adducendis, evidens est, constare sufficienter de lege prohibente; ergo.

Contra quarto: Si minor illa prætenstæ demonstrationis videlicet, *licitum est sequi in dubio juris sententiam quamcunq; strictè probabilem* (etiam in concursu probabiliore stantis pro lege) id est, quæ secundum se præseindendo à concursu spectata nititur motivo simplici-

ter magni momenti, sit certa, vel est certa certitudine supernaturali & fidei, vel naturali; sed neutrum dici potest; ergo non est certa. Probatur minor, quia imprimis non est certa certitudine fidei, quia nullibi est à Deo revelata: neque certa & evidens est, certitudine & evidentia naturali; quia si sic sit certa & evidens, vel est pro se nota & evidens, intellectis tantum terminis, quod dici non potest, aliàs quilibet probaret auditam, sicut probat hanc: *Quodlibet est vel non est*; vel est deducta ex præmissis evidentibus, & hoc non, quia tales nondum sunt productæ.

Dixi: *Etiã in concursu &c.* quia dato, quòd certum sit extra concursum id licere, non tamen bene inde deducitur, certam esse id quoque licere in concursu, & hinc major sic accepta esset falsa, &c. Innumeris viris, ex quorum doctrina dicitur evidens non constare de lege prohibente, &c. jam opposui innumeros & præstantissimos viros, ex quorum doctrina probatum est, constare sufficienter de tali lege. Desiderantur igitur præmissæ certæ & evidentes, ex quibus inferatur: *Ergo certum & evidens est, non constare sufficienter de lege prohibente sequi sententiam minus probabilem, relictâ probabiliore &c.* Ex hoc enim, quòd viri etiam innumeri (præsertim, si unus alterum tanquam ovis ovem sequatur) asserant, sibi non constare de lege prohibente, non sequitur infallibiliter, & evidenter, talem legem non esse latam, nec sufficienter promulgatam, cum isti viri non sint Pontifices ex cathedra definiētes, nec ab aliquo Pontifice decisa, ratum fuerit, eorum asserta esse tutissi-

ma, & inconcussa dogmata, & ab innumeris gravioribus eis contradicatur; & efficaciter probetur. Sed audiamus dilemma utrimque capiens, & ita convincens *Authorem dissertationis*, ut non possit evadere: *Vel sententia Authoris potest argumento certo demonstrari, vel non; si potest; ergo cecitatis gravissima arguit innumeros praestantissimos Doctores, & totam Societatem: si verò non potest, quis igitur & qualis iste legislator est novus, aut obtrusus absque credentialibus praecerti peccati?* Ecce, quàm fortiter hic ambidexter gladium ancipitem in utramque partem verset. Actum est de vobis, Augustiniano-Thomistæ, in aliis quoque materiis, si versatili hoc & terribili gladio Author dissertationis &c. à versatilis probabilitatis hoc defensore prosternatur. Nam prosequetur victoriam, & eodem in aliis adversarios invadet hoc modo: *Vel sententia Augustiniano-Thomistica, quòd non detur scientia media, quòd decreta Dei sint intrinsecè efficacia, quòdque Deus per ea non solum prædefiniverit actus bonos, sed etiam materiale peccati, & ad hoc prædeterminet, quòd gratia sit intrinsecè efficax, & prædeterminans physicè &c. potest argumento certo demonstrari, vel non; si potest, ergo cecitatis gravissima arguit innumeros praestantissimos Doctores, & totam Societatem: si verò non potestis, qui igitur & quales estis vos Thomistæ absque credentialibus sententiarum harum novi & obtrusi praecones &c.* Et dissimilis quoque Doctoris Subtilis periculum imminet ob sententiam de distinctione ex natura rei, sive media &c. *Quid vobis videtur, viri gravissimi? credo diuturos*

Sunt funes ex araneorum telis, (quibus muscæ leves & debiles, id est simplices lectores, aut auditores capiuntur) consuti, ad exemplum alterius vagæ probabilitatis propugnatoris, de quo ait Vincentius Baronius: Ubique nomine demonstrationis Lectores allicit, & terret adversarios, sed non minus vana sunt hæc promissa, quam terriculamenta tanto nomine munita, quia ubique pro demonstrationibus dat sophismata, asserit, & non probat, &c.

Extatne aliqua lex generaliter obligans ad non propugnandam sententiam contrariam Doctoribus, etiam omnibus, alicujus Ordinis, (qualis hæc non est, quam propugnamus) aut Scholæ, etsi existimetur, illam probari argumentis certis, aut probabilioribus, sive spectetur ratio, sive authoritas? Nunquid Scotistæ contradicunt innumeris præstantissimis viris Scholæ Thomisticæ? Nunquid Doctores Societatis liberè contradicunt innumeris præstantissimis Scholæ Augustiniano-Thomisticæ Doctoribus, imò & Scotistis in variis sententiis? & his non licebit gerere bellum defensivum, etsi validissimis armis & viribus sint instructi & muniti, ne arguantur illi? Jussus à legitimis suis Superioribus sequi sententias certi Doctoris, resisterne illis, ne contradicat alterius Instituti aut Scholæ Doctoribus? Nos Augustiniani vigore decreti Capituli generalis, *tenemur in omnibus sequi ac tueri inconcussam doctrinam S. P. nostri Augustini, & neglectâ hac ordinatione, & spretâ auctoritate tanti Doctoris, & certis argumentis, quibus relatæ sententiæ possunt probari, silebo, aut tuebor oppositas, ne*

N

adver-

adversarii videantur esse cæci &c. ? Docet argutus ille demonstrator, posse aliquem se conformare opinioni, quam duo gravissimi viri, v. g. duo Suarezij dicunt esse probabilem, etsi omnes alij Doctores contradicerent, & hîc non licebit cum sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus, & præstantissimis, & gravissimis viris antiquis, & recentioribus supra laudatis, amplecti, & defendere sententiam, ne inferatur, contrariæ sententiæ propugnatores fuisse cæcos, eò quòd non perceperint vim argumentorum oppositæ sibi sententiæ ? Scio, inter adversæ sententiæ propugnatores esse viros plurimos sat acutè videntes, & illuminatos. Sed non ignoro etiam, dum Doctores falluntur & aberrant à via veritatis, cujuscunque fiat Ordinis aut Instituti, quòd per hujusmodi errorè non videant veritatem. Scio præterea, Adversarios ea humilitate esse præditos, ut libenter fateantur, se in docendo, tam acutè in omnibus non videre, ut falli non possint, & errare, & concedant, se non esse Doctores infallibiles, aut irrefragabiles, cum sibi etiam invicem contradicant in aliis.

Quàm sim novus hujus sententiæ præco, constat ex supra citatis auctoribus. Dico cum Tertulliano: *Mea est possessio, olim possideo, prior possideo: habeo origines firmas; sanctorum Patrum & Doctorum sum discipulus, sicut caverunt illi testamento, scio, teneo, &c.* Unde retorqueo argumentum: *Vel sententia adversarij potest certo argumento demonstrari, vel non potest; si potest; ergo cecitatis gravissima arguit S. Augustinum, S. Thomam, Bernardum, Summos Pontifices, Conciliorum Patres, aliosque præstantissimos viros, etiam Societatis*
supra

supra relatos, & plures Ordines Religiosos, qui in Capitulis generalibus, & Constitutionibus suis, ipso Summo Pontifice instigante, praeceperunt, ut sui adhaerent sententijs recentioribus & probabilioribus, quod percipere non valuerint illam demonstrationem: si verò non potest, quis igitur, & qualis iste legislator est novus, aut obrusus absque credentialibus praeo versatilis probabilitatis promittens securitatem, quam non dat Dominus, & ausus damnare omnes, qui contendunt legem esse latam, & sufficienter promulgatam de non sequenda minus probabili, relicta probabiliore? &c.

Si fortassis existimet, me in hac alma Universitate esse novum hujus de sequenda probabiliore sententiæ præconem, fallitur, quia, ut nihil dicam de vulgatione per libros hîc & alibi impressos, qui teruntur manibus Professorum, ante me ab aliis Doctoribus, & non ita pridem ab aliquo inter Facultatem Regentes, me seniore, in Schola publica fuerunt productæ credentiales, &, ni fallor, impofterum producentur; neque per hoc aer inficietur, sed potius infectus purgabitur.

Judicet prudens Lector, & examinet utriusque credentiales. Exhibui credentiales in sacris litteris & Conciliis fundatas, à SS. Ecclesiae Patribus, Doctoribus, Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archi- & Episcopis, &c. signatas, & validis rationibus munitas. Credentiales autem adversarii subscriptæ sunt à solis recentioribus, ob reflexiones in propositiones incertas & obscuras (à quibus in has nulla potest derivari certitudo) existimantibus, esse licitum, sequi minus probabi-

babilem, relictâ probabiliore, &c. unde sententia adversarii non est certa; ac proinde contra ipsam concludet hoc argumentum: *Si probabilistica sententia de tuto sequenda minus probabili &c. non sit certa, non est licitum illam sequi; sed non est certa; ergo non est licitum illam sequi.* Major ab adversario in disputatione de opinione probabili, quam, & non totam, tantum legi, admittitur. Minor probata est supra: quia nullo certo argumento potest probari. Semper enim major vel minor, ad summum est probabilis, ac proinde incerta.

Neque ex hoc, quod S. Thomas judicaverit, esse probabilius posse differri confessionem, & S. Bonaventura, securius esse oppositum, præjudicatur nostræ sententiæ. Illi, cum viverent, ex hoc, quod sibi evidens non esset, latam esse legem prohibentem, non concluderunt, esse licitum sequi sententias faventes commodo, libertati, &c. sed sincero corde investigarunt veritatem, seduloque orarunt, ut à Deo illuminarentur, & ab occultis mundarentur. Imitemur eos, & de salute eorum non sumus solliciti, sed invocemus, ut nos adjuvent.

Instat adversarius ulterius: *Christus non permittet sponsæ suæ aliud, quàm suave jugum imponi.* Respondeo, ut supra, Christum non permissurum, dilatari viam salutis, quam arctam esse voluit. Christianè vivere, secundum S. Augustinum, magna pars martyrii est. *Non martyrium, inquit term. 46. de S. sola effuso sanguinis consummat, - - pervenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam absque in-*

juria Sanctorum defunctorum in persecutionibus dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritia restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrij est.

Dicit: Augustinus ait: *Ama, & fac quod vis.* Respondeo: Qui Deum amat ex toto corde, &c. non exercet operationem, per quam probabilius judicat, Deum esse offendendum. Non citavit, ubi sic loqueretur Augustinus. Fortè non legit. Supplebo defectum. Verba S. Patris sunt hæc: *Semel breve tibi præceptum præcipitur: Dilige, & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice non bonum existere.* Tract. 7. in Epist. S. Joan.

Optima, firma & vera est doctrina; sed non favet sententiæ Opponentis. Potuissent & alii Probabilistæ, quorum propositiones damnatæ sunt, facile dicere cum Augustino: *Dilige, & fac, quod vis.* Sed per hoc verificatum non fuisset, opera, quæ ipsi licita esse docuerunt, *existere de radice dilectionis Dei, aut proximi;* Si hujus radicis fructus fuissent, non fuissent à Summis Pontificibus proscriptæ propositiones, quibus esse licita assereretur. Quare si quis ex citato textu sic instaret: *Omne opus, quod existit de radice interioris dilectionis, secundum Augustinum est bonum; sed omnis operatio illius, qui sequitur sententiam probabilem, aut in concursu contradictoriarum minus probabilem, est opus existens sive pro-*

veniens de radice dilectionis : ergo omnis operatio
 sequentis probabilem, aut minus probabilem, est bo-
 na; negamus minorem, intellectam in sensu S. Au-
 gustini, de dilectione Dei aut proximi. Contrarium
 enim probavi, & patet ex Pontificum damnatione.
 Verbis allegatis præmittit S. Doctor citato Tractatu
 hæc : *Multa fieri possunt, quæ speciem habent bonam,
 & non procedunt de radice charitatis. Habent enim &
 spina flores: quædam verò videntur aspera, videntur tru-
 culenta, sed sunt ad disciplinam, dictante charitate. Ea,
 quæ Authores propositionum damnatarum judica-
 bant licitè fieri posse, vel omitti, videbantur illis ha-
 bere speciem bonam ob tinctas colore veritatis pro-
 positiones, quæ videbantur niti solido fundamento,
 (Nihil enim facilius quàm non solum dicere, sed etiam
 opinari verum invenisse. S. Aug. lib. de utilit. cred. c. 1.)
 sed non procedebant de radice charitatis, & propositio-
 nes erant in praxi perniciosæ; erant spina flores; quia
 autem illa, quæ ab oppositis & probabilioribus stan-
 tibus pro lege asseriebantur esse facienda, vel omitten-
 da, videbantur aspera & truculenta, jugumque im-
 ponere durum, docuerunt, neminem teneri, in pra-
 xi se illis conformare. At contra Summi Pontifices
 censuerunt, ea spectare ad disciplinam, procedere de
 radice charitatis, ideoque prohibuerunt sub pœna
 excommunicationis latæ sententiæ, &c. ne ullus cu-
 jusvis conditionis, status aut dignitatis, propositiones con-
 trarias, vel earum aliquam conjunctim, vel divisim de-
 fendat, vel edat, vel de eis disputativè, publicè, aut priva-
 tim tractet, vel prædicet, nisi forsan impugnando, & di-
 strictè*

*strictè in virtute obedientia, & sub interminatione divini
judicij precipientes, ne ullus eas, aut aliquam earum ad
praxin deducat.*

Præmittit ibidem S. Pater: *quia charitate fit, ut cæ-
tera bene amentur, ipsa quomodo amanda est? res ergo quæ
nunquam debet de corde discedere, nec ab ore discedat &c.*
Quomodo probabilistæ illi, quorum propositiones
sunt prohibitæ, docuerint amandam esse charitatem,
constat ex sequentibus damnatis.

*Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere
actum fidei, spei, & charitatis, ut præceptorum divinatorum
ad eas virtutes pertinentium. Est prima inter damnatas
ab Alexandro VII.*

*An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel
tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

*Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquen-
niis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

*Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non
habemus aliam viam, quæ justificari possumus.*

*Non tenemur proximum diligere actu interno, & for-
mali.*

*Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per
solos actus externos.*

*Hæc fuerunt damnatæ ab Innocentio XI. & adver-
tat jam lector, quam appositè pro sua sententia allega-
verit textum Augustini opponens. Quadrat, ut quinta
rõta &c.*

*Objicies decimo-octavo: Ideò juxta dicta non est
licitum sequi opinionem minùs probabilem, relicta
probabiliore & tutiore, quia eam sequens operatur cum*

N 5 dubita-

dubitatione & formidine ; sed hæc ratio nulla est : Ergo possumus licitè sequi minùs probabilem , relicta probabiliore & tutiore. Probatur minor , quia si hæc ratio valeret, non liceret etiam sequi probabiliorem & tutiorem , quia etiam huic annexa est dubitatio & formido, ed quod omnis opinio sit assensus cum formidine. Respondeo negando minorem , & ad probationem dico , licet ille , qui sequitur opinionem probabiliorem & tutiorè, evidenter non sciat, rem sic se habere, & hoc sensu non sit absque omni formidine , hæc tamen formido non est moralis , cum habeat iudicium practicum moraliter certum de honestate operis (suppono enim fecisse totum quod potuit ad invenendam veritatem) quale non habet ille , qui contempta veritate & lege sequitur minus probabilem.

Objicies decimo nonò : Illud non tenemur credere , quod nobis certo non constat , fuisse à Deo revelatum , & ab Ecclesia propositum : Ergo à pari etiam non tenemur servare legem , quam nobis certo non constat esse à Deo latam ; sed in concursu minus probabilis & probabilioris nobis certo non constat, legem esse latam, ergo &c.

Contra primò : Ergo filius nec honorem nec obedientiam tenetur præstare patri , quia illi certo non constat, esse Patrem suum.

Contra secundò : Ergo nemo prudenter potest adorare hostiam, quam in Missa elevat Sacerdos, quia certò non constat, esse consecratam, eâ nempe certitudine, quam Adversarii requirunt ad hoc, ut constet legem esse latam, & teneantur eam observare. Respondeo

deō ergo ad Argumentum negando consequentiam : Non est enim par ratio de speculativis & practicis. In his sufficit , quod conscientia conformetur sententiæ probabiliori stanti pro lege & officio , licet existētia legis non sit evidens , non autem sufficit ad evitandum peccatum , quod conformetur minus probabili stanti contra legem , quia lex non tantum prohibet peccata certa, sed etiam dubia & probabilia.

Objicies vigesimo : Si non sit licitum, sequi minus probabilem in concursu opinionum, etiam non est licitum sequi probabiliorem ; sed hoc est contra conclusionem paragraphi tertii : ergo licitum est sequi minus probabilem in hujusmodi concursu. Probatur sequela majoris : quia opinio asserens , esse licitum sequi minus probabilem, est probabilior & tutior. Quia nititur gravioribus rationibus , & pluribus authoribus. Respondeo contrarium esse sufficienter probatum in §§. præcedentibus. Adde ex Navarro in Man. cap. 27. n. 289. unam opinionem non esse appellandam communem ad effectum præjudicandi alteri , ex eo solo, quod plures eam sequantur , tanquam oves alias oves sequuntur, sed opinionem communem ex pondere authoritatis fieri ; Et ex Mercoro 2. p. a. 28. quod vagæ probabilitatis defensores ita à se invicem dissentiant, ut ob quatuordecim diversos dicendi modos in totidem classes distingui possint.

Si quis autem desideret regulas, ex quibus cognosci possit, quæ inter opiniones concurrentes sit probabilior , legat *panopliam libertatis, immunitatisque Ecclesiasticæ non ita pridem studiosè concinnatam ab Aegidio*

dio

dio Ranbeck Ordinis S. Benedicti J. U. Doctore, at-
 que ante hac SS. Canonum in Universitate Salisbur-
 genfi Professore Ordinario, & Celsissimi ac Reveren-
 dissimi Archi-Episcopi Consiliario &c. hic enim post-
 quam disp. 3. c. 6. q. 1. impugnasset sententiam affir-
 mantem, esse licitum sequi minus tutam & proba-
 bilem opinionem in concursu probabilioris, & con-
 clusisset his verbis: *Quis ignorat, nostro hoc seculo eam*
ingeniorum pruriginem passim incubuisse, ut novis opinio-
nibus in scholis contra receptissimas S. Thoma Aquinatis
& antiquorum etiam sanctitate celeberrimorum Patrum
& Ecclesie Doctorum sententias studeatur? utinam non
sapè sicutis rationibus & quæ atatem non ferant. Exem-
pla allegare haud opus est, nam passim se recentium opi-
nionum prioribus seculis inauditarum densa seges ingerit.
 Postquam hæc, inquam, conclusisset, in appendice ad-
 jecta varias dedit regulas, de discernenda opinione
 probabiliori ac tutiore, videlicet: quod illa sit habenda
 probabilior, quæ cum textibus S. Scripturæ, & de-
 cisionibus œcumenicorum Conciliorum, Apostolorumque
 traditionibus, Sanctorum Patrum doctrinæ ab Ecclesia
 receptæ, S. Canonibus, Sedis Apostolicæ decisionibus,
 Sanctorum exemplis, vitæ ac moribus magis concordat;
 opponiturque laxitati in doctrina morum, Evangelii ac
 præceptorum ex certissima doctrina Christi dicentis: *arcta*
via est quæ ducit ad vitam, & non nititur meris abstra-
ctionibus metaphysicis & affectata speculationum subtili-
tate, ex quibus hodie oriuntur totæ novæ opiniones, circa
usuras, contractum mutui, equivocationes &c.

Examine prudens lector ad hæc regulas nostræ &
 oppositæ sententiæ fundamenta. Obje-

Objicies vigesimo-secundò : S. Augustini , aut S. Thomæ auctoritas sola sufficit ad reddendam opinionem tutam in praxi , etsi plures Doctores asserant oppositum , nisi gravibus rationibus ; ergo licitum est , sequi minùs probabilem & minùs tutam , relictâ probabiliore & tutiore. Respondeo negando consequentiam. Horum enim sanctissimorum Doctorum , quorum doctrina est ab Ecclesia approbata , quorum dogmata vocat Alexander VII. in speciali Brevi , tutissima & inconcussa , auctoritas præferenda est Probabilistarum auctoritati & rationibus. Sufficit horum pro millibus unus S. Augustinus , aut S. Thomas.

Objicies vigesimo-tertiò : dum Princeps Christianus movet bellum contra Principem Christianum , secutus opinionem minùs probabilem , non peccat , neque peccant subditi jussi militare , si obediant : ergo licitum est sequi opinionem minùs probabilem , &c. Antecedens probatur : quia potest dare bellum ab utraque parte justum , ac proinde unus ex illis sequitur minùs probabilem & minùs tutam opinionem. Respondeo , negando antecedens , & ad probationem dico , ut sit bellum ab utraque parte justum inter Reges aut Principes , ab uno invincibiliter debere ignorari jus alterius. Ad subditos autem quod attinet , præsumitur ex his , quòd Rex præcipiat honesta , idque ex consilio virorum doctorum & piorum ; & hinc ab illis probabilius judicatur , esse licitum militare , & obedire suo legitimo Regi.


Objicies vigesimo quintò : C. finali de Transact.
dici-

dicitur : *Opinio benignior & suavior præferri debet*, sed opinio, quæ asserit, licitum esse in concursu opinionum sequi minùs probabilem, est benignior; ergò hæc præferri debet, & consequenter licitum est, sequi minùs probabilem, relictâ probabiliore & tutiore. Dissimulatâ majore, respondeo negando minorem; quia opinio asserens licitum esse sequi minùs probabilem, relictâ probabiliore, stante pro lege naturali & divina sufficienter proposita, est potiùs dicenda malignior, quàm benignior, quia non est tuta, nec conformis prudentiæ, ut patet ex dictis.

Hac, aliaque hætenus allata, si animo ad benignitatem composito placeat perpendere facile erit, Deo auxiliante, ex probabilista fieri discipulum SS. Augustini & Thomæ, & S. Bernardi precibus, & non culpare eos, qui redargui jure non possunt.

Finis Dissertationis tertiae.

fed
io-
gò
fe-
te.
n;
di-
&
a-
n-
a-
i-
&



Differen
3pla
30w

Th
450